BIBLIOTHECA

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

TEVBNERIANA

BOHVSLAVS HASSENSTEINIVS A LOBKOWICZ

OPERA POETICA

EDIDIT

M. VACULÍNOVÁ



MONACHII ET LIPSIAE
IN AEDIBVS K. G. SAUR MMVI

Bibliographic information published by Die Deutsche Bibliothek

Die Deutsche Bibliothek lists this publication in the
Deutsche Nationalbibliografie,
detailed bibliographic date is available
in the Internet at **http://dnb.ddb.de**.

Gedruckt auf alterungsbeständigem Papier.
Druck und Bindung: Druckhaus „Thomas Müntzer", 99947 Bad Langensalza

ISBN-13: 978-3-598-71283-8
ISBN-10: 3-598-71283-9

PRAEFATIO

De Bohuslai Hassensteinii baronis a Lobkowicz vita

Operibus oratione soluta scriptis foras datis et epistulis in aedibus Teubnerianis editis fruitur nunc lector carminum Bohuslai Hassensteinii a Lobkowicz usu, partis operum eius praestantissimae.

In editionibus commemoratis multa iam diserte de vita et operibus Hassensteinii scripta sunt, quae (ligna in silvam portare nolentes) in praefatione nostra haud repetere volumus. Pauca itaque ad Hassensteinium pertinentia textui carminum praemittimus.

Bohuslaus Hassensteinius a Lobkowicz anno 1461 vel fortasse 1462 familia nobili, quae tunc temporis sedem in arce Hassenstein in Bohemia occidentali habuit, ortus est. Parentibus paulo post Bohuslaum natum defunctis puer a propinquis nutritus atque educatus est una cum fratribus suis Nicolao († c.a. 1499) et Ioanne (1450 – 1517), qui postea lingua Bohemica iter suum in Terram sanctam susceptum enarravit. Rudimentis linguae Latinae a praeceptore quodam privato, ut tunc mos nobilium erat, obtentis, in Italiam profectus est ad iuris disciplinam discendam.

Inter annos 1475 – 1482 in academia Bononiensi posteaque Ferrariensi studiorum causa versatur, ubi gradum doctoris assequitur. Bononiae familiaritatem cum Petro Schotto, filio patricii Argentinensis, contrahit, qui eum ad carmina componenda exhortat. Hoc tempore carmina Hassensteinii Schotto dedicata et carmen quoque *De propriis Germanorum inventis* scripta sunt. Inter Bohuslai studiorum sodales etiam Petrus de Rosis, homo nobilis, clara gente Bohemiae ortus, cui Bohuslaus deinde epistulam, quae est *De re publica*, dedicavit, Bernardus Adelmannus ab Adelmannsfelden (de quo etiam infra mentio fit), Udalricus de Frundsberg nominandi sunt.

Studiis finitis Bohuslaus in Bohemiam reversus anno 1484 praepositus Wyssegradensis nominatus est, quo autem munere anno 1486 abdicavit. Anno sequenti munus in cancellaria regis Wladislai accepit, regius secretarius factus. Secretarii regii munere fungens Bohuslaus eruditione claruit admirationem sodalium atque familiarium habens, inter quos fuerunt: Victorinus de Vssehrd, vicenotarius apud tabulas publicas, Ioannes de Pibra, scriba iudicii camerae regis, Cristianus Pedik (qui postea in coetum monachorum receptus est). Bohuslaus, moribus perversis in curia regis et in patria cognitis taedio affectus, carmina satirica in proceres et mores populi scripsit, quae amicis describenda praebebat.

Anno 1490 Bohuslaus in Orientem iter ingressus est. In Terram Sanctam proficiscens etiam insulas Graecas visitavit aliaque loca, tot carminibus veterum poetarum Latinorum Graecorumque celebrata, quae multi Bohuslai contemporanei in suis carminibus saepe commemorabant quaeque Bohuslaus propriis oculis cernere desiderabat. Iter suum (de quo vide: ERP et Martínek: Quaestiones, LF 90, 1967) in carmine *Ad quattuordecim auxiliatores* descripsit.

Inter peregrinandum de morte Petri Schotti amici, qui interim ad dignitatem canonici ascendit, certior factus est. Eodem tempore se episcopum Olomucensem designatum esse comperit. Quamquam vocibus omnium sociorum capituli Olomucensis episcopus electus, tamen ab Innocentio VIII. confirmatus non est, qua re summum pontificem aliquot epigrammatibus acerbis irrisit. Innocentio mortuo Bohuslaus iterum eligitur neque ab Innocentii successore Alexandro VI. (de quo etiam aliquot epigrammata scripsit) confirmatur. Episcopus Olomucensis denique Stanislaus Thurzo confirmatus est, qui Olomucii multum ad litteras promovendas valuit. Bohuslaus autem offensus se ad conatus sodalitatis litterariae Olomucensis a Thurzone adiutae applicare noluit et usque ad finem vitae ab eis abstinuit.

Anno 1499 ineunte Bohuslaus Budam et Viennam proficiscitur, amicos in cancellaria regis atque socios Sodalitatis litterariae Danubianae visitandi causa. Viennae a Conrado Celte accipitur (de eius cum Bohuslao usu vide partem sequentem), cuius beneficio Hieronymum Balbum Italum, tunc temporis in academia Viennensi

docentem, cognovit. Inter alios officiales et viros eruditos etiam Nicolaus Rosenbergius, eques Polonus et orator regis Poloniae aderat, cui Bohuslaus carmen opusculo de Scythis ab eo composito adiungendum dedicavit.

Paulo post Bohuslao spes episcopatum adipiscendi redintegratur aditu ad dignitatem coadiutoris Ioannis Roth, episcopi Wratislaviensis, apparente. Ab ipso rege Wladislao adiutus dignitatem illam tamen assecutus non est.

Officia spiritalia non adeptus Bohuslaus cogitationem ad officium saeculare in curia regis Wladislai intendit. Ab Ioanne Sslechta, regio secretario et amico suo, impulsus vere 1502 Budam venit et usque ad mensem Aprilem anni sequentis in numero aulicorum erat. Hoc tempore multa carmina atque epigrammata scripsit vitam aulicorum versibus iocosis aut satiricis describentia, quae saepe Ioanni Sslechtae sive Augustino Olomucensi dicabat. Cum his duobus amicis et aliis sodalibus convivia celebrans scyphos aliaque dona, ut mos erat in conviviis hominum litteratorum, eis dabat.

Buda domum reversus eclogam de vita aulica scripsit, mores aulicorum castigantem. Difficile est decernere, utrum tam valde moribus in curia regis, an potius mendacitate vitae aulicae (obtinuit enim a rege Wladislao mercedem pro sui officii aulici annis denique quattuor post multis et amicis in cancellaria regis adiuvantibus) deceptus sit.

Anno 1503 spe episcopatum Wratislaviensem adipiscendi redintegrata hanc dignitatem petivit, sed res iterum ad irritum redacta est.

Toties deceptus, officiis spiritalibus (quorum causa numquam matrimonium contraxisse putatur) frustra studens, officiorum saecularium pertaesus, in Hassensteiniam arcem fugit otio litterato se traditurus.

In qua iam pridem scholam privatam constituit, quam ipse administrabat quamque, dum abfuit, Ioanni Sturno de Smalcaldia regendam demandabat. Uno et eodem tempore etiam ad libros suos curam conferebat.

Bibliotheca Hassensteinii, quam egregie et magnifice locupletavit, etiam longe post mortem eius claruit multorumque admiratione afficiebatur. Otio in arce Hassensteinia fruens (ubi usque ad finem vitae suae degebat) multa carmina scripsit ad Ioannem Sturnum, discipulos scholae privatae, filios fratris sui, alios sodales. Inter carmina tempore otii litterati composita etiam octo carmina amatoria Carlotam amicam celebrantia inveniuntur.

De operibus poeticis Bohuslai denique haec dicenda putamus: Bohuslao Hassensteinio non opus erat carmina adulatoria scribere, ad quod multi contemporanei sui, viri litterarum periti, necessitate victum quaerendi compulsi sunt. Opes suae et origo nobilis eum liberiorem faciebant. Multi vitae suae casus calamitosi accedente insuper natura sua propria notabilem reddiderunt venam satiricam, quae scriptorum suorum propria est. In epigrammatibus suis vitia multorum irridebat, res suo tempore in Europa gestas multo sale explanabat, forma versuum eleganti excellens, quare longo tempore post decessum suum in numero auctorum Latinorum legendorum erat, quod multa testimonia atque fontes historici comprobant.

De carminibus Hassensteinii, quae in codicibus manu scriptis reperiuntur, et de carminum editionibus

Hassensteinio vivo carmina sua saepe in codicibus manu scriptis descripta ad homines Musam poetae admirantes nancisci solebant. *Lucubraciunculis Petri Schotti* (**s**) exceptis nulla Bohuslai carmina typis impressa hoc tempore lucem aspexisse certum est. Duplex causa afferri potest, cur Bohuslaus carmina sua typis mandare negaverit: primo notandum plurima carmina vitia contemporaneorum Bohuslai sive aperte sive occulte castigavisse, haud raro virorum nobilium et in re publica opibus valentium; secundo animadvertendum a statu et origine auctoris nobilibus parentibus oriundi carmina sua prelo subiicere alienissimum fuisse. *Opuscula* (**p**) inter annos 1509 – 1513 opera Ioannis Sturni et Ioannis Sslechtae typis exarata sunt. Bohuslao mortuo Ioannes Sturnus, praeceptor scholae Hassensteinianae plurima opera Bohuslai

collecta in Saxoniam discedens asportavit, nonnulla una cum suis carminibus edere paratus. Quae carmina Matthaeus Aurogallus, sodalis scholae Hassensteinianae, a Sturno Annabergae morante obtinuit. (vide etiam B. Ryba: Prosa p. 9 (praefatio idiomate Bohemico scripta). Carmina a Sturno et Aurogallo collecta postea Basileam pervenerunt, ubi Sigismundus Gelenius, corrector officinae Frobenianae, frustra conatus est ea edere. Georgius Fabricius quoque memorandus est, qui vir eruditus carmina Bohuslai admiratus est duoque prelo subiecit: carmen contra Turcas et carmen de Christi resurrectione, quod Bohuslao attribuit nesciens verum auctorem carminis Aeneam Sylvium fuisse (cf. LF 128, 1 – 2, pp. 35 – 46). Opera Fabricii etiam carmina Basilea Pragam pervenerunt, ubi eis Thomas Mitis ad editionem suam usus est.

Editio princeps carminum Hassensteinii a Thoma Mite Nymburgeno comparata impensis Ioannis Hoddieovini ab Hoddeiova et familiae Lobkovicianae secundo dimidio saeculi 16 emissa has partes continet:

1. Carmina e manuscriptis ab Ioanne Sslechta antea possessis per M. Briccium a Licsko et Matthaeum Collinum ad Ioannem Hoddieovinum delatis sumpta.

2. Carmina Bohuslai de Hieronymo Balbo scripta et ab eo ad Bohuslaum data, quae Laurentius Sspan in codice quodam invenit separataque edidit.

3. Miscellanea – carmina (Thoma Mite in titulo partis Farraginum memorante) „*in vetusto libello inmixta, de quibus non satis constat, sintne ipsius an vero familiarium Bohuslai*“. Pars 1 - 3 in Farragine prima poematum (**i**) et postea in Farragine poematum (**d**) edita est.

4. Carmina, quae Sturnus et Aurogallus collexerunt quaeque Fabricius ab heredibus Nicolai Episcopii typographi obtinuit et Pragam misit, ubi eas Thomas Mitis sub titulo Appendix poematum

(etiam littera **d** notato), eodem anno quo Farraginem poematum edidit. Ad haec addi possunt carmina ex aliis fontibus a Thoma Mite non nominatis collecta.

5. In fine Appendicis Liber elogiorum invenitur, cui magna ex parte materiam Laurentius Sspan et liber eius (**v**) praebuit.

Thomae Mitis a maecenatibus adiuti carminum Bohuslai editio auctorem eorum sempiternae gloriae in Bohemia et in Germania commendavit. Hassensteinii poemata viri litterarum periti legebant eaque usque ad finem saeculi 17 imitabantur. Multae etiam laudationes non solum Bohuslao vivente sed etiam post mortem eius scripta sunt, quarum mentionem in editione nostra non facimus eas pro satis tractatis in libris aliorum habentes (vide ERP, Potuček).

De aestimatione carminum, de temporis dispositione, de inscriptionibus

In animo habuimus opera poetica omnia, quae supersunt, in hac editione colligere. Reticere non volumus Bohuslai primitias in principio huius voluminis positas, si cum operibus aetatis maturioris comparentur, poma viridia sapere. Progressum autem Bohuslai Musae ostensuri carmina iuvenilia minus perfecta a versibus posterioribus seiungere noluimus; omnia itaque carmina ordine temporum servato lectoribus proponimus.

Omnia quidem carmina in ordinem temporum redigi non possunt, tempus oriundi nonnunquam incertum est. Maior pars eorum ad certas Hassensteinii epistulas, ad certas res in Bohemia Bohuslao vivente gestas, ad certos homines referri potest. Itaque hoc modo carmina ordinavimus:

I. carmina usque ad annum 1489 tempore studiorum Bohuslai in academiis Italicis scripta, amicitiam cum Petro Schotto et Udalrico de Freundsberg testantia, ad res in Italia, Germania, Bohemia gestas pertinentia (nr. 1 – 19).

II. carmina inter annos 1489 – 1503 exarata, quo tempore Bohuslaus ex Italia reversus in patrimonio gentis Lobcovicianae morabatur, Pragae in cancellaria regis officia obibat, postea peregrinationem in Graeciam, Aegyptum, Terram Sanctam suscepit domumque reversus frustra episcopatum Olomucensem assequi conatus est (nr. 20 – 94).

III. carmina Hassensteinio in aula regia Budae morante orta (paulo post 11. Maii 1502 – brevi ante 11. Maii 1503), pleraque Ioanni Sslechtae et Augustino Olomucensi dicata (nr. 95 – 156).

IV. carmina certi temporis ab anno 1503 usque ad mortem Hassensteinii facta (nr. 157 – 249).

V. carmina tempore otii in arce Hassensteinia scripta discipulisque scholae privatae et praeceptori eorum Ioanni Sturno dedicata. Adduntur varii lusus atque nugae ad Henricum ex Olssan et Carlotam datae (nr. 250 – 482).

VI. carmina incerti temporis, carmina ad homines, de quibus aliunde nihil comperimus, pertinentia; carmina Hassensteinio attribui solita, quae autem nomini eius certe ascribi non possunt (nr. 483 – 506).

De carminum inscriptionibus haec dicenda sunt: materiam quam optime dispostituri titulos, quibus Thomas Mitis in sua editione usus est, uncis inclusos carminibus praemittimus. Quorum titulorum partem maiorem Thomas Mitis finxit, non sunt Bohuslai nostri. Si qua eorum emendatione indigent, formam emendatam pro titulo ponimus, inscriptionem a Thoma Mite adhibitam in apparatu critico notantes. Multae inscriptiones partis quintae uncis non inclusimus putantes eos a Bohuslao fictos fuisse vel dubitantes eos a Thoma Mite fictos.

Notantur nomina eorum, quibus pleraque carmina dedicata sunt

Bohuslaus noster saepe carmina in epistulis ad amicos suos mittebat ad materiam epistularum spectantia saepeque etiam carmina longiora iis describenda dabat. In aetate iuvenili primum carmina **Petro Schotto** dicavit, cuius poemata ad Bohuslaum scripta paulo post immaturum Petri discessum una cum Bohuslai versibus edita ad saecula nostra permanserunt. Multa quoque carmina ad **Bernardum Adelmannum** scripta sunt, qui cum Hassensteinio amicitia tempore studiorum Ferrarriae iunctus amicum deinde usque ad finem vitae eius libris et instrumentis astronomicis, geographicis, mathematicis munire solebat.

Hassensteinius Pragae in cancellaria regis morans cum duobus viris amice vivebat: cum **Victorino Cornelio de Vssehrd**, qui a Bohuslao carmina epistulis inclusa accipiebat suaque vicissim ad eum mittebat, quod usque ad tempus dissensionis amborum, quae finem huius amicitiae fiebat; cum **Johanne Pibraeo**, qui hanc dissensionem effecisse suspicabatur quique communionem litterarum cum Hassensteinio continuavit, nunc carmina ab eo petens, nunc sua ad eum mittens.

Budae in cancellaria regis duo viri renatarum litterarum periti carmina ab Hassensteinio accipere solebant ipsi litteras colentes – **Ioannes Sslechta de Vssehrd** et **Augustinus Olomucensis** (etiam Augustinus Moravus sive rarius Käsebrot appellatus).

Carminum Bohuslai ad tempora nostra traditorum maxima pars ex epigrammatis, elegiis, nugis variis **Ioanni Sturno**, praeceptori scholae Hassensteinianae et Bohuslai amico dedicatis, constat.

Ceterorum virorum extraneorum renatarum litterarum studiosorum duo nominandi sunt: **Conradus Celtes** et **Hieronymus Balbus**, qui pauca quidem carmina ab Hassensteinio accipiebant suaque ad eum dabant, sed ad Bohuslai litterarum studia non minimi erant momenti.

De iis, quibus carmina Hassensteinii dedicata sunt, hoc loco pauca proferre volumus. Satis enim de vita eorum in Prosopographia Epistularum Hassensteinii Tom. I. pp. 214 – 220 enarratur. Proponemus itaque quaedam de carminibus iis dedicatis et ab iis acceptis et de relatione Bohuslai ad amicos litteras collentes spectante. De singulis carminibus plura in commentariis inveniri possunt.

Petrus Schottus (1458 - 1490) unicus filius familia patricia Argentinensi ortus Hassensteinium paulo iuniorem tempore studiorum in academia Ferrariensi et Bononiensi adiuvabat eumque ad carmina Latina componenda exhortabat. Testis erat multorum conatuum poeticorum Bohuslai, qui nondum perfecti studium litterarum et astronomiae respiciunt et desiderium statum spiritalem intrandi testantur. Nonnulli in *Lucubraciunculis* (s) a Iacobo Wimphelingo editi sunt. Hassensteinius ipse de carminibus ad Schottum missis et ab eo vicissim acceptis in epistula ad Ioannem Sslechtam data (Epist. II., 59, 27 - 34) haec affert: "*Is me Bononiae adolescentulum adolescens unice ipse diligebat et observabat carminaque saepenumero ad me scribebat et nostra vicissim accipiebat. Deinde, cum uterque nostrum ad suos rediisset, frequens inter nos commercium litterarum fuit, magis tamen earum, quae nostrum mutuum amorem testarentur, quam quae eloquentiam prae se ferrent. Itaque desine, quaeso, meas nugas tantopere laudare. Effluxerunt enim haec mihi, non emissa sunt sapiuntque teneros unguiculos.*"

Bernardus Adelmannus ab Adelmannsfelden (1459 - 1523) longo tempore cum Hassensteinio per litteras colloquebatur. Bohuslaus noster saepissime cum eo de libris emendis agebat (magna ex parte opera Bernardi, qui per annos fere viginti quinque libros ad Bohuslai usum emere solebat, bibliotheca Hassensteiniana tam locuples facta est). Praeterea etiam de statu rei publicae, de rebus bellicis, de Turcorum casibus ab eo per litteras docebatur. Pars magna epigrammatum, quae cum certis epistulis connecti possint, ad eventus politicos spectat. Mentio etiam de Elegia IX. Ad Bernardum Adelmannum scripta fieri debet, quae

revera ad Victorinum de Vssehrd scripta est, ut in commentariis explicatur.

Victorinus Cornelius a Vssehrd (cca 1460 - 1520) Hassensteinio quasi magistro suo carmina corrigenda mittere solebat. Quamvis ei Latine scribendi peritia minor quam Hassensteinio erat, Bohuslaus hoc numquam aperte commemoravit, donec Victorino familiariter usus est. Satiram suam ad Sanctum Wenceslaum mores Bohemorum eludentem damnantemque Victorino dedicavit. Deinde Victorinus, accusatus unum carmen Hassensteinii in aliud papam eludens mutavisse, amicitiam Bohuslai amisit.

Ioannes de Pibra, quem magistratibus minoribus annis 1493 - 1512 functum esse scimus, multa carmina ab Hassensteinio exigebat suaque pauca ad eum misit. Hoc modo corpus carminum epistularumque Bohuslai collegit, ex quo postea multa descripta sunt. Iam pridem per epistulas probatum est Pibram nomina aliorum virorum pro nomine Victorini, quem in odio habuit, posuisse, itaque eum ab Hassensteinio abalienavisse. Notum est Pibram carmen de beata Agnete scripsisse et ab Hassensteinio varia carmina accepisse. In epistulis Bohuslai ad Ioannem de Pibra datis et ab eo acceptis saepe mentiones de carminibus vicissim missis fiunt. Etiam in vitae Hasssensteinii annis posterioribus testimonia huius rei inveniuntur, occurrit e.g. mentio de hymno Sapphico in divam Agnetem conficiendo (Epist. II. 157) et de *nugis pro nugas acceptis* (Epist. II. 159).

Ioannes Sslechta de Vssehrd (ante nobilitatem perpetratam est etiam de Blevic appellatus) in cancellaria regis Vladislai munere fungens de Bohuslai officio in aula regis praestando cum eo agebat, Budae eum suis consiliis adiuvabat, quo modo de eo meritus est. Hassensteinio brevi tempore in aula moranti auxilium praestabat, de rebus gentis Lobkovicianae cum Cadanensibus et Pontensibus in cancellaria regis tractabat, salarii Hassensteinio pro servitiis aulicis solvendi regem admonebat, libros ex bibliotheca regia ei procurabat. Matrimonio inito anno 1504 Costelecii super Albim sedem stabilem et domicilium collocavit vitamque privatam agere coepit. Litteras ardenter coluit, dialogum de defensione poetices Venetiis edidit, opus philosophicum sub Microcosmi titulo

scripsit, quod non impressum postea adversa fortuna perditum est. Constat eum carmina composuisse (inter quae etiam epitaphium Bohuslai nostri invenitur), versus ab Hassensteinio exegisse acceptosque collegisse (ut ipse in epistula sua ad Petrum Piscensem scribit: "*...habeo et carmina nonnulla nobilissima, quibus mihi amoris affectu deceptus longe plura in studiis literarum tribuit, quam ego in me unquam deprehenderim.*"ed. Truhlář: Listář, p. 226), sua poemata corrigenda ei mittere solitum esse. De carminibus et epistulis Bohuslai a se collectis in epistula ad Sigismundum de Lobkowicz data litteris Sigismundi carmina Hassensteinii (tunc iam mortui) a se petentis respondens scripsit: „*Curabo tamen, quamprimum domum rediero, libellos ipsos ad te per quempiam familiarium meorum transmittere: hac vero lege, ut cum impressi aut descripti fuerint, redire ad me non obliviscantur. Hoc te unum admonere volo, ut, cum tibi afferentur, diligentius eos legas et perlegas. Sunt enim culpa librarii in nonnullis locis corrupte scripti, quos ego propter varia negotiorum impedimenta recognoscere non potui: facile tamen inter legendum emendari et castigari poterunt.*" (in: Truhlář: Listář, p. 222). Antonius Truhlář existimat Sigismundum ad hanc epistulam scribendam a Ioanne Sturno adductum esse, qui hoc modo carmina Bohuslai assecutus, omnia ex arce Hassensteinia discedens secum abstulit gentemque Lobkovicianam operibus Bohuslai privavit.

Duodeviginti epistulae Bohuslai ad Sslechtam datae exstant, carmina plus quam triginta, quorum plurima ad vitam aulicorum Budae et ad statum rei publicae spectant. Memoratu quoque etiam aliquot aenigmata ad Sslechtam scripta digna sunt, quae Nicolaus Reusner, qui ea in Aenigmatographia sua edidit, explicare non potuit nosque etiam sensum eorum patefacere frustra conati sumus.

Augustinus Olomucensis (1467 - 1513) Ioanni Sslechtae cancellariam regis relinquenti in rebus Hassensteinii familiaeque eius in aula regis adiuvandis successit. Quamquam nonnisi pauca epigrammata Augustino dedicata habemus, in epistulis Bohuslai tamen multa testimonia de longioribus carminibus ad Augustinum missis occurrunt. In epistula 107 legimus: „*Versus meos, ubi commode exscribi poterunt, ad te mittam, non ut legas (quid enim*

in his tua lectione dignum?) neque ut corrigas (id enim vix spongia aut Vulcanus faceret), sed ut materiam ridendi habeas...". In epistula 114 Hassensteinius mentionem facit difficultatum in carminibus describendis emergentium: „*Nugas meas, quas tantopere expetis, iam pridem ad te misissem, si nactus fuissem librarium, a quo excriberentur, sed magna id genus hominum apud nos penuria est, praesertim eorum, qui ita scribant, ut carmina scribi par est.*" In epistula 129 verba Hassensteinii leguntur, quae testantur Augustinum carmina ab eo petivisse: „*Quod autem epigrammata mea et cetera id genus a me rursus exigis, vehementer miror. Nam cum tibi omnia debeam, hoc unum, si fieri possit, negare vellem ob eam duntaxat causam, quod me nugarum mearum pudet.*"

Alio loco (epistula 54, 1 - 4) Bohuslaus carmina Augustini laudibus effert eorumque auctoris eruditionem etiam epigrammatis celebrat.

Ioannes Sturnus (de cuius vita et scriptis vide etiam Martínek: Has. škola, pp. 25 - 31) in arce Hassensteinia cum Bohuslao cumque eius scholae privatae discipulis degebat et Bohuslao absente hanc scholam administrabat. Bohuslaus eo familiariter usus est, nugas varias lususque poeticos ei necnon scholae Hassensteinianae sodalibus – Francisco, Henrico, Lucae - dedicavit, inter quos quidam aliquantulum lascivi inveniuntur. Ex epistulis Sturni et Sslechtae comperimus Sturnum opera quaedam Bohuslai edenda curavisse aliaque propriis carminibus additis edere et regi Wladislao dedicare voluisse. Sturnum in schola Hassensteiniana vitam agentem nonnulla carmina aliaque opera Hassensteinii collegisse notum est, quae paulo post Bohuslai obitum ex arce Hassensteinia discedens secum abstulit.

Henricus Hrussovianus ex Olssan hoc loco etiam memorandus est. Bohuslai Pragae degentis iam circa annum 1499 comes in arce Hassensteiniana deinde vixit. Bohuslao magnam familiaritatem cum Henrico fuisse nonnulla epigrammata partim iocosa, partim seria testantur. Qua amicitia durante etiam carmina Bohuslai ad Carlotam amicam scripta esse iudicamus (tempore

studiorum Italicorum, ut in **g** scribitur, hoc factum esse negantes). De Carlota Bohuslaus etiam in nugis Henrico dedicatis loquitur.

Post Ioannem Sturnum et Henricum Hrussovianum etiam alumni scholae Hassensteinianae nominandi sunt, quorum saepe in epigrammatis Bohuslai mentiones legi possunt: Nicolaus atque Sigismundus, filii Ioannis Lobcovicii, fratris Bohuslai, cum filio eius illegitimo Wolfgango Cadanensi, Ioannes Knobloch et alii (vide J. Martínek: Has. škola, pp. 31 - 40).

De **Conrado Celte** deque Bohuslai carmine, quod Celtes suum esse finxit, multa iam scripta sunt. (novissime J. Martínek: De Conrado Celte et Bohuslao Hassensteinio, LF 101, 1978, pp. 84 – 93). Post dissensionem mitigatam Celtes Hassensteinium anno 1499 Viennae visitavit seque excusavit et Bohuslaum opusculis suis typis impressis donavit. Hassensteinius ei dimisit et ab hoc tempore semper benigne se erga eum gessit. Ad nostra tempora una Hassensteinii epistula ad Celtem data et duo carmina tradita sunt. Quorum primum est carmen laudatorium ad epistulam (Epist. II. 83) anno 1501 scriptam pertinens, alterum epitaphium Conradi Celtis, qui secundo anno ante Hassensteinium mortuus est. Conradus Celtes ipse quoque carmina Bohuslao dicavit (v. Odarum librum I., 27: *Ad generosum dominum Bohuslaum de Hassenstein de situ Pragae et sectis et haeresibus in Bohemia.* Ed. Felicitas Pindter. Lipsiae, Teubner, 1934 sub titulo: Conradus Celtis Protucius. Quattuor libri amorum. Germania generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros amorum pertinentia.).

Eodem tempore Hassensteinius etiam ab **Hieronymo Balbo** Viennae inter amicos receptus Pragae familiariter eo utebatur, carmen sibi dedicatum ab eo expectabat ipseque ad eum carmen scripsit (cuius rei epistulae 65 et 66 testes sunt). Quo in carmine, "Bohemiae et procerum eius laudes" sive "Elegia hodoeporicon" ad Ioannem de Sselnberg, supremum cancellarium, inscripto et Bohuslao nostro dedicato, Balbus Hassensteinium amore patriae carere accusat (cf. Martínek in LF 93, 1970, pp. 37 - 43). In suam defensionem Bohuslaus epigramma nr. 87 scripsit. Balbo Pragae docente (1499 - 1501) Bohuslaus cum eo disputare solebat, ut in manuscripto Gregorii Gelenii legitur (Truhl. Hum. p. 93). In

epistula 65 ad Balbum data Bohuslaus ludorum poeticorum mentionem facit: „*Ludo tecum, quoniam abs te ad lusum provocatus sum*“. Exstant duo carmina eandem materiam tractantia eodemque metro ab Hassensteinio et Balbo composita. Hassensteinii carmen a Thoma Mite „De vere“ appellatum est, carmen Balbi „De primo vere“ inscribitur. De hoc lusu poetico in SNM p. 41 disseritur. Amicitia Bohuslai cum Balbo non longe durabat - Bohuslaus Balbo Pragae morante et etiam postea mores eius castigavit, maxime eo tempore, quo Balbus canonicatum assecutus est, ut etiam epigrammata eius in Balbum scripta testantur.

Codicum et editionum descriptio

C: Modenensis e collectione Autographotecae Campori in Bibliotheca Estensi sub signatura VI 93b asservatur. Est unum folium a principio vel a fine libri cuiusdam typis impressi evulsum carmen ad Udalricum de Frennsberg (*Nunc ego crediderim...*) manu scriptum continens. Hoc carmen vir doctissimus Paul Oskar Kristeller invenit et Dana Martínková anno 1973 edidit et elucubravit. Manus scribae aliena est ab autographo Bohuslai (cf. **m**) neque, ut cognovimus, in ullo librorum bibliothecae Hassensteinianae in notis marginalibus invenitur.

Y: in codice Vindobonensi Palatino 3271 collectio carminum epistularumque ad amititiam et dissensionem Bohuslai et Victorini Cornelii a Vssehrd pertinentium invenitur. Primum poema "*Ad Bernardum Adelmannum elegia*" inscriptum (*Quae mihi misisti...*, fol. 25r – 27v) Bohuslaus ad Victorinum dedit. Verisimile videtur Ioannem de Pibra titulum carminis post dissensionem ortam mutavisse (cf. **z**). Sequuntur tria carmina Bohuslai: Ad sanctum Venceslaum satira (*Dive pater...*, fol. 28r), epigramma (*Caelorum pelagique sator*, 32v – 33r) cum responsione Victorini (*Qui caelum terramque...*, 33r - 33v), invectiva Bohuslai in Victorinum "In papaemastygam" dicta (*Pontificum quisquis...*, fol. 41r). Carmina

immixta sunt litteris Bohuslai et Ioannis de Domaslav. Codex saeculo 15 exeunte scriptus duabus partibus constat, quarum una descriptio est incunabulorum Ioannis Langer a Bolckenhain: Tractatus de censibus sub titulo reemtionis, paulo post 25. 8. 1489 typis editorum (GW M 17052), altera opera Bohuslai et aliorum continet. Codice examinato has partes ambas inter annos 1495 - 1501 exaratas esse iudicamus.

U: Bibliothecae universitatis Pragensis codex I D 3 saeculo15 exeunte sive 16 ineunte scriptus est (de scriptoribus vide Epist. II. p. X). Epigrammata sequentia in eo leguntur: in foliis 3v – 4r (*Caelorum pelagique sator...*), in foliis 16r – 16v carmen "In papaemastygam dictum" (*Pontificum quisquis...*), epitaphia Domini Ioannis Rupovii (*Curia quem regis...*), Ioannis Sokolovii (*Cui commissa fuit...*), Hermolai Barbari (*Quid fles, Calliope...*), omnia in folio 118v. In foliis 120r – 123r "Elegia ad 14 divos tutelares" (*Bis septem o animae...*), in foliis 123r – 123v carmen "De eodem Hyndraco" (*Hoc quoque post...*) inveniuntur.

N: Vindobonensis Palatinus sub numero 3482 (Tabulae II, s. 307) asservatur carmenque Bohuslai opusculum Nicolai Rosenbergensis Poloni recommendans in fol. 17v continet (*Quod loca, quod mores...*). Eodem folio annus, dies, mensis, quo opusculum scriptum est, invenitur, scilicet :"*Ex Thermis Marchionis XIIa mensis Octobris MCCCCLXXXXVIIII*", qui pro termino ante quem haberi potest. In principio opusculi alia carmina commendatoria ab Augustino Olomucensi, Georgio Gadio, Alberto Montano scripta leguntur. In editione operum prosa scriptorum **r** a Theophilo Ryba parata codex **N** littera **R** notatur.

Orationem Nicolai cum carminibus annectis J.Kollar anno 1763 e codice manu scripto edidit (**k**), recenter Z. Kowalska: Mikolaja Rozem-barskiego traktat z roku 1499 o pochodzeniu Tatarów, Universitet Jagiellonski, Krakow 1993.

G: Lipsiensis manu saeculi 15 exeuntis scriptus, MS 186 signatus, olim in posessione bibliothecae monasterii Cisterciensis

Altenzell habitus, carmen "Praeconium divae Virginis" dictum (*Flammiferi quae sceptra...*) in fol. 153v continet (Kristeller: Iter Italicum vol. III col. 414 b; Helssig: Die lateinischen und deutschen Handschriften der Universitätsbibliothek Leipzig. Bd. I. Teil 1. Nachdr. 1995 Harrassowitz. pp. 264 - 5). Carmen Bohuslai anno 1500 exaratum est, ut in fine textus legitur: „*per fratrem M.S. anno 1500*".

B: Vindobonensis Palatinus numero 3510 signatus elegiam Ad Hieronymum Balbum (*Balbe Theramnaeo...*) continet. Scripta est in fol. 54r – 55r. Praecedit eam hodoeporicon Hieronymi Balbi ad Ioannem de Sselnberg, cancellarium regni Bohemiae, sequitur carmen Balbi Bohuslao nostro dedicatum (fol. 49r - 73v). Maiorem partem codicis libellus Petri Haedi obtinet, saeculo 15 exeunte (in fol. 1r vide numerum "1493" rubricatum et partim abscisum) descriptus. Pars codicis, Balbi et Hassensteinii carmina exhibens, tempore paulo posteriore orta est. Hodoeporicon Balbum anno 1500 scripsisse notum est (M. Okál in ZJKF 1971, p. 93).

D: Bibliothecae universitatis Pragensis 10 A 25 signatus folio 35r "Satiram ad sanctum.Venceslaum" (*Dive pater...*, Farr. s. 11-18) exhibet. Pars manu scripta Farragini epistularum Erasmi Rotterodamensis anno 1519 typis impressae alligata est multasque epistolas Hassensteinii, amici eius Ioannis Slechtae, Wenceslai Piseceni aliorumque auctorum continet, quas J. Truhlář in: Dva listáře humanistické (Duo libri epistolarum humanioris aevi) anno 1897 Pragae edidit. Cuius iudicio consentientes hanc partem ante annum 1535 exaratam esse putamus. Praeter epistulas etiam nonnula carmina habet, quorum unum est Hassensteinii Satira.

K: Budapestiensis Bibliothecae Széchényianae Clmae 367 signatus fol. 216r – 216v (Kristeller vol. IV col. 294b) duo epigrammata continet, unum „*Carmina Nasonis laudas...*" incipiens, aliud "*Ad regem Vladislaum B. de Hass.*" (*Turcarum veniunt acies...*) inscriptum. Carmina Bohuslai aliis aliquot additis in appendice codicis, varia opera P. Callimachi colligentis, qui, ut

in fol.1r legitur, Wratislaviae anno 1522 iussu Stanislai Sauri canonici transcriptus est, inveniuntur.

Librorum typis impressorum primo loco illos commemoramus, qui Hassensteinio vivo vel paucos annos post mortem eius foras dati sunt (**1**). Sequuntur libri saeculis 16 et 17 in lucem editi (**2**). Editiones saeculis 18 et 19 ortae (**3**) nullas novas lectiones afferunt, sed ad carmina explicanda nihilo minus valent. Saeculo 20 editiones novae paratae sunt textum emendatum praebentes, quas praeterire non possumus (**4**).

In sequenti praefationis parte de eorum librorum titulis loquimur, qui ad textum constituendum aliquam auctoritatem habent. Quae sunt praesertim editiones partis primae et tertiae. Ceterae editiones in apparatu critico non apparentes in capite „Librorum et commentationum“ enumerantur.

(**1**) **s**: *Petri Schotti Argentinensis...Lucubraciunculae ornatissimae* a Martino Schotto Argentinae anno 1498 impressae nonnulla carmina Hassensteinii ad Schottum scripta continent, quorum fere omnia in editione Thomae Mitis rursum edita sunt. Nullus nisi hic liber sine dubio Hassensteinio vivo impressus est. Numeri carminum cum commentario in p. XXVII praefationis inveniri possunt. Carmina Schotti una cum carminibus Bohuslai etiam editio nova **g** complectitur.

p: *Opuscula Bohuslai Boemi baronis de Hassenstayn, que hoc volumine continentur: Ad Wladislaum Pannonie et Boemie regem in funere Anne regine coniugis elegia consolatoria, Elegia ad XIIII sanctos, quos vulgo auxiliatores vocant, de peregrinatione sua gracias agens, Ad Ioannem Sturnum Francum de Smalcaldia de avaricia libellus, Summos Christianos principes contra Thurcas excitans adhortatorium carmen.* De anno, loco et typographo nihil certi dicere possumus. Editores Bohemici saeculi praecedentis (Truhlář, Ryba, Martínková, Martínek) saepe annum 1509 ineuntem pro termino libri impressi ponunt epistula Ioannis Sturni

in principio editionis posita innitentes, in fine anni 1508 scripta. In catalogis librorum impressorum saeculi nostri etiam annus 1512 affertur loco impressionis, scil. Erefordia (Erfurt) addito. Annum certum ignorantes iudicare non possumus, utrum Opuscula ante mortem an potius post mortem Bohuslai in lucem edita sint.

(2) e: *Encomia Hubae Slaccenwaldensis apud Boemos ac Thermarum Carolinarum descriptio...authore Caspare Bruschio.* Vitebergae anno MDXLII (1542). Hic liber rarus (in Bibliotheca Nationali Vindobonensi sub sign. *35 Q 108 asservatus) praeter varia opuscula Bruschii carmen Bohuslai Hassensteinii „In thermas Caroli IV." inscriptum, foliis C4 r – v continet.

b: *Lazari Bonamici Orationes duae, una in Ciceronis et Demosthenis interpretatione, altera in Homeri et Virgilii. Item elegantissima doctorum virorum carmina, in gratiam studiosorum recens edita. Liber Argentorati per Blasium Fabricium Chemnicensem anno 1554 editus praeter poemata et varia oratione soluta scripta e variorum auctorum opusculis collecta* in fol. C2b – C7b carmen Bohuslai Hassensteinii continet „Bouslai de Hassenstein ad Imperatorem et omnes Europae Reges de bello Turcis inferendo Epistola" intitulatum.

v: *D. Hieronymi Balbi iureconsulti Itali liber continens Bohemiae et procerum eius laudes.* Hic liber cura Laurentii Sspan a Sspanov Pragae anno 1560 apud Georgium Melantrichum de Aventino impressus est. Laurentius Sspan, editor opusculi, quod patrono suo Christophoro de Bilina et Kost dedicavit et in quo familiam Lobkowiczianam, a qua ipse descenderat, versibus et prosa oratione admodum laudavit, in dedicatione dicit:"*De Bohuslao hanc narratiunculam institui occasione et testimonio viri doctissimi et quidem peregrini huius Hieronymi Balbi Itali, in cuius scriptum nuper incidi, cum ad illustrissimum Principem Henricum Seniorem Burggravium Mysnensem proficiscerer...*" Textu a Laurentio Sspan tradito cum textu codicis manu scripti **B** comparato vero proximum esse putamus Laurentium Misnia

visitata codicem in bibliotheca quadam invenisse textum codici **B** similem habentem. Elegia Bohuslai ad Hieronymum Balbum scripta in foliis B 4a - B 5a huius editionis invenitur.

i: *Illustris ac generosi d. d. Bohuslai Hassensteynii a Lobkovitz etc., baronis Bohemici, poetae summi oratorisque clarissimi Farrago prima poematum...editorum per Thomam Mitem Nymburgenum a Limusa ipsa quoque apud Georgium Melantrichum Pragae anno 1562 edita,* prima collectio carminum Hassensteinii a Thoma Mite editorum est atque cum libro **d** usque ad nostra tempora pro praecipuo fonte carminum Bohuslai cognoscendorum habetur.

d: *Illustris ac generosi d. Bohuslai Hasisteynii a Lobkovitz etc. Farrago poematum in ordinem digestorum et editorum per Thomam Mitem Nymburgenum* apud Georgium Melantrichum anno 1570 edita, prima plagula numero carente mutata paginis 1 – 224 Farraginis primae utitur. Liber **d** alium quoque libellum complectitur, cui est titulus *Generosi baronis ... Bohuslai Hasistenii a Lobkovicz, I. U. D., Appendix poematum editorum a Thoma Mite Nymburgeno. Addita sunt elogia plurimorum in d. Bohuslaum una cum indice lib. bibliothecae Hasisteiniae.* Quam appendicem non Melantrichus, sed Ioannes Gitzinus Pragensis eodem anno (1570) typis exscripsit. Ambos libros duabus de causis eadem littera signare decrevimus:

1. Numeri paginarum Farraginis in Appendice continuantur.
2. Ambo libelli in bibliothecis semper in uno libro colligati inveniuntur itaque veri simile est eos tempore, quo impressi sunt, coniunctos venum ivisse. Editio **d** in nostris commentariis etiam „editio princeps“ (propter abundantiam fontium) sive „editio Thomae Mitis“ appellatur.

In editione Thomae Mitis carmina aliquot exstant non ab Hassensteinio, sed ab aliis auctoribus ficta, quae hoc loco notantur:

p. 76: *Elegia II. in obitum regis Matthiae* Hieronymi Balbi, ut iam in erratis Farraginum p. 208 recte scribitur.

p. 214: *De natali Domini* Sebastiani Brant (vide SNM, p. 49 – 50).

p. 217: *Ad Petrum Citharaedum* carmen Philippi Beroaldi (vide notam praecedentem).

p. 218: *Ad Falconem* carmen Baptistae Mantuani, qui etiam *Carmen de virtute ad Falcones* (p. 224) composuit. Huius carminis solus titulus textu omisso impressus est. Editor ipse certe dubitavit Bohuslaum auctorem carminis fuisse.

p. 222 – 223: *Contra musarum obtrectatores* Georgii Sisgorei.

p. 223 – 224: *De novem poetis latinis* eiusdem auctoris.

p. 311: *In Ludovicum* Hieronymi Balbi.

h: *Diadochos id est Successio: Ginák Poslaupnost Knijžat a Králůw etc.* a Bartholomaeo Paprocio lingua Bohemica scriptus carminibus Latinis additis, impressus est Pragae apud heredes Ioannis Ssuman, 19. Iulii anno 1602. Hic liber duo epitaphia a Bohuslao exarata continet, quorum unum (Epitaphium Puthae Risebergensis, cf. K.Boldan in: Miscellanea oddělení rukopisů a starých tisků 11 (1994), Praha 1995, p. 20 – 31) in **d** non invenitur, alterum (Epitaphium Ioannis de Vartenberg et Tetzen) multos locos a **d** diversos exhibet. Paprocius narrat se epitaphium Ioannis Vartenbergensis in pictura antiqua in templo arcis Pragensis sita vidisse textumque descripsisse. Iudicari itaque potest textum ab eo editum vetustiorem esse illo, quem Thomas Mitis edidit.

(3) l: *Bohuslai Bohemi Baronis de Hassenstein Carmen summos Christiani orbis principes excitans ad bellum contra Turcas gerendum* in officina Wittigaviana Lipsiae anno 1688 a Ioachimo Fellero, custode bibliothecae Paulinae editum est. Exemplum eius est editio **p**, a qua orthographia paulum differt, nonnulli errores simili modo atque in **i** emendantur.

m: editio critica carminis e codice manu scripto **C** Bibliothecae Estensis, quam Dana Martínková in Collectaneis facultatis philosophicae universitatis Comenianae Posoniensis edidit sub titulo *Über ein bisher unbekanntes Gedicht des böhmischen*

Humanisten Bohuslaus Hassensteinius von Lobkowicz, anno 1973, series Graecolatina et orientalia 5, pp. 205 – 209.

(4) f: *Bohuslai Hassensteinii a Lobkowicz Epistulae. Tom. I. Epistulae de re publica scriptae*, ediderunt J. Martínek et D.Martínková Lipsiae in Bibliotheca Teubneriana anno 1969.

Tom. II. Epistulae ad familiares, ediderunt J. Martínek et D. Martínková ibidem anno 1980. In tomo II. duo carmina epistulis Hassensteinii immixta inveniuntur (nr. 135 et 185).

z: Duo carmina Hassensteinii Jan Martínek in Foliis philologicis edidit atque commentatus est, vide articulos: *De falsa litterarum gloria Bernardo Adelmanno facta*, LF 108, 1985, pp. 204 – 217, *Bohuslai a Lobkowicz in Thomam Bakócz de Erdöd carmen*, LF 112, 1989, pp. 97 - 103.

Editiones, vel ab editione **d** pendentes nullasque nisi orthographiae differentias exhibentes, vel ex aliis fontibus editae textum carminum sive apparatum criticum imperfectum praebentes vel potius ad Hassensteinii opera prosa oratione scripta spectantes, ordine temporis breviter notantur:

o: *Picta poesis Ovidiana. Thesaurus propemodum omnium fabularum poeticarum ...epigrammatis expositarum...ex recensione N. Reusneri*, liber anno 1580 a Ioanne Spies et Sigm. Feyerabend Francofurti impressus. Editorem huius anthologiae editione **d** usum esse putamus. Nicolaus Reusner in aliquot locis textum correxit et in carmine nr. 397 textum mutavit lascivitatem vitare volens. Partibus Hassensteinii carminum exemptis titulos suos imponit, qui non semper his partibus conveniunt (vide partem carminis 397 « De Medea » intitulatam). Editio carmina nr. 291, 322, 397, 405, 482 continet.

q: *Hodoeporicorum sive itinerum totius fere orbis lib. VII. Opus historicum, ethicum, physicum, geographicum a N.Reusnero etc. olim collectum nunc demum Ieremiae Reusneri fratris cura ac studio editum*. Basileae, Ad Perneam Lecythum, MDXXC. Denuo

editum sub titulo *Itinerarium totius ferre orbis sive Opus peregrinationum variarum in VII classes distinctum...ex recensione Nicolai Reusneri I.C. Secunda editio*, Basileae per Conradum Waldkirch, 1592. Haec editio carmen Bohuslai nr. 30 sub titulo *Bohuslai Lobcovitii Hassenstenii Baronis Boemici Ad divos tutelares, de peregrinatione sua elegia* exhibet.

n: *Aenigmatographia sive Sylloge aenigmatum etc.*, ed. Nicolaus Reusner (prima editio Francofurti 1599 ex officina Paltheniana, secunda ibidem 1602). Aenigmata Hassensteinii in paginis 125 – 131 editionis primae, 305 – 307 editionis secundae in parte „*Aenigmata variorum auctorum*“ inscripta leguntur. Omnia carmina Hassensteinii in editionibus Reusneri (nr. 144, 145, 175, 322, 392, 444, 461) ex **d** non mutata descripta sunt.

k: *Nicolai Olahi Hungaria et Atila,* ed. J. Kollar, Vindobonae 1763.

u: Cornova, I.: Der grosse Böhme Bohuslaw von Lobkowicz und in Hassenstein nach seinen eigenen Schriften, Pragae 1808.

c: Jean de Carro: Ode Latine sur Carlsbad. Lateinische Ode auf Karl des Vierten Heilquellen, Pragae 1829.

t: Truhlář, J.: Listář Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, Praha 1893. (abbreviatur: Truh. List.).

r: Ryba, B.: Spisy Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, Praha 1933. (abbreviatur: Ryba: Spisy).

Ryba, B.: Scripta moralia, Oratio ad Argentinenses, Memoria Alexandri de Imola, Verlag B.G.Teubner, Leipzig 1937.

a: Bohuslaus Hassensteinius baro a Lobkowicz, Epistolae, accedunt epistolae ad Bohuslaum scriptae. Ed. Augustinus Potuček, Budapest 1946. (abbreviatur: Potuček).

g: The works of Peter Schott (1460 -1490), edd. M.A. and M.L. Cowie, Univ. North Carolina Press, Vol. I. 1963, Vol. II. 1971. (de Bohuslao nostro vide Vol. II. pp. 729 - 731).

o: Renesanční poezie - Renata poesis, edidit et in linguam Bohemicam vertit H. Businská, praefatus est J. Martínek, Praha 1975, pp. 2 – 7, 279 – 280.

sel: Bohuslav Hasištejnský z Lobkovic: Carmina selecta, selegit J. Martínek, Bohemice reddiderunt H. Businská et D. Martínková, Praha 1996.

Fontes siglis carentes carmina Bohuslai Hassensteinii continentes:

Vlastae Bohemicae historia Roderici Dubravi I.U.D., edita studio et sumptibus Thomae Mitis. Pragae, excudebat Georgius Nigrinus anno 1574. (carmen nr. 93).

Budik, P. A.: Leben und Wirken der vorzüglichsten lateinischen Dichter 3, Wien 1828, p.83 sqq.

Bohuslai Hasisteinii a Lobkovic Carmina selecta. Selegit O. Jiráni, Monaci 1922. (abbreviatur in commentariis: Jiráni: Carmina).

K. Hrdina: Bohemia Latina, Pragae 1931, pp. 47 - 54.


Gerst, K.: Bohuslaus von Hassenstein, Böhmens erster Humanist, in: 24. Jahresbericht des deutschen Staatsrealgymnasiums in Rumburg 1933, pp. 21 sqq. Continuatio in: 25.Jahresbericht...Rumburg 1934, p. 19 sqq.

Schnur, Harry C.: Lateinische Gedichte deutscher Humanisten, Reclam 1966, pp. 243, 451. (denuo anno 1987 editum).

Comparatio fontium


Carminum Bohuslai unum in quattuor, quattuor in tribus, quindecim in duobus exemplaribus exstant.

Carmen **De bello Turcis inferendo** (nr. 68) in nullo codice manu scripto invenitur, libri autem typis impressi quattuor editiones parum differentes saeculis 16. – 17. paratas praebent, quarum **p**, quae ceteris (**b**, i, **l**) vetustior est, meliorem textum, orthographiam peiorem, ut supra diximus, exhibet. Scriba exemplaris **b** Germanus erat, quod modus scribendi „*Fistula*“ pro „*Vistula*“ testatur. Etiamsi **l** et **i** de **p** ambo descripti esse videntur, editio **l** plurimos errores in orthographia et lectione corrigit (e.g. : v. 53 *Thule* **ib** *Tile* **pl**).




Ad sanctum Venceslaum satirae (nr. 24) tria exemplaria (in duobus codicibus **D** et **Y** et in editione i) praesto sunt, quorum vetustissimus codex **Y** notas in margine textus scriptas exhibet nomina eorum, quorum vitia in satira damnantur, commemorantes (cf. **z** 1985, p. 209). Propior est **i** textui **Y** quam recentiori **D.**

Carmen **In papaemastygam** (nr. 35) appellatum in editione **i** a Thoma Mite parata et in duobus codicibus (U et Y) invenimus. Ambo codices e codice quodam ab Ioanne de Pibra possesso epistulas carminaque Hassensteinii continente transcripti sunt. In **Y,** paulo vetustiore quam **U,** carmini duo disticha adduntur, eadem manu scripta. Incertum est, utrum haec nugae Bohuslao an potius Ioanni de Pibra adscribendae sint, nam ipsum quoque versus scripsisse notum est.




Ad Hieronymum Balbum elegia (nr. 82) in tribus exemplaribus **B, v, i** exstat, quorum **B** sine dubio vetustius est quam **v** et **i**. Textus v fons codex quidam, nunc deperditus, a codice **B** paululum differens erat, quod editione Laurentii Sspan examinata probari potest. Dispositio et tituli carminum congruunt, lectiones autem quaedam differunt. Etiamsi editiones **v** et **i** in officina eiusdem typographi brevi temporis spatio (**v** anno 1560, **i** anno 1562) impressae sint, differentias textuum respicientes editionem **i** ex **v** haud transcriptam esse existimamus. Editio **i** lectiones propiores manu scripto **B** habet lectionibus **v** ab eis differentibus (e.g. in versu 30 *carmen* **v**, *carnem* **iB**; in versu 51 *mores* **v**, *curas* **iB**, in

versu 14 **v** omisit *et*). Neque tamen affirmari potest **B** exemplum editionis **i** fuisse, differunt enim una voce (in versu 39 *frenare* **B**, *mutare* **i**).




Ad XIIII sanctos carmen (nr. 30) in codice **U** et in editionibus **p** et **i** traditur. Lectiones **p** et **i** paulum differentes cum codice **U** in nonnullis locis non congruunt (e. g. **11** *Fluentia* **i** *fluentia* **p** *advencia* **U; 33** *Cycladas* **ip** *ciclados* **U**).



Ad regem Wladislaum carmen (nr. 72) praeter Farraginem Thomae Mitis littera **i** signatam in codice **K** invenitur, qui textus solo modo scribendi (e.g. dyris **K,** *diris* **i**) differunt.

Carmen **In fratrem religiosum** (nr. 102) in iisdem fontibus conservatum non orthographia sola differt, sed etiam alias differentias exhibet (editor **i** in tertio versu vocem *sed* omisit, qua omissa corruptum est initium hexametri, melior est itaque textus **K**).




Praeconium divae Virginis (nr. 77) stropha Sapphica scriptum cum acrostichide nomen Bohuslai continente (nr. 78) in duobus exemplaribus traditur. Vetustius **G** paulo post carmen compositum exaratum meliorem textum, ortographiam peiorem affert quam **i**.

Quae ortographiae forma melior similiter atque in aliis carminibus non solum exemplo meliori ascribenda est, sed etiam Thomae Miti, qui fontis sui modum scribendi mutabat, ut eum antiquo usui propiorem redderet. Editio **i** unum versum in acrostichide omisit, qui in codice **G** invenitur. Legimus itaque Latinum nomen „BOHUSLAVS“ in acrostichide vetustiore et Bohemicum „BOHUSLAV“ in editione **i**. Non dubitandum est, quin Hassensteinius formam Latinam praetulerit.

Thomas Mitis, qui editionem **i** paravit, Praeconium in initio Farraginis (p. 30), acrostichidem autem in loco posteriore (p. 192) posuit, cuius rei duplicem explicationem afferre possumus: Primam, quod carmen longius, materiae nobilis, a breviore lusu distinguere volens, eum in editione sua inter nugas varias locavit. Alteram, quod prius textum manu scriptum Praeconii acrostichide carentem habuit, paulo post alium acrostichidem continentem obtinuit, sed carminum ordinem iam pridem statutum mutare nolens acrostichidem in fine libri tertii epigrammatum librum miscellaneorum praecedentis posuit.



Elegia **Ad Bernardum Adelmannum** falso appellata (nr. 34) praeter **d** in **Y** invenitur, cuius codicis forma medium aevum potius quam aetatem humaniorem redolet, textum autem multo propiorem editioni principi continet.



Ut hoc exemplum illustrare potest, ambo codices differentias lectionum exhibent (e. g. **14** *ex modiis dulcia mella* **Y** *e mediis dulcia vina* **d**). De carmine ipso eiusque editionibus vide **z** 1985.

In epitaphiis nobilium **Ioannis de Wartenberg** (nr. 243) et **Puthae de Ryzmberk** (nr. 181) quae ambo in editione Thomae Mitis **(i)** et in Diadocho **(h)** inveniuntur, duas variationes eiusdem materiae ab Hassensteinio scriptas exstare suspicamur. Differunt enim tot versibus, ut hoc vix erroribus scribarum tribui possit. Verisimile etiam est textum in Paprocii libro (**h**) contentum et (commentario affirmante) ex imagine tempore Hassensteinii picta exscriptum vetustiorem esse quam textum in editione **i**. Epitaphium Puthae in **i** et **h** multos versus communes, sed (initio excepto) plures differentes affert, quare ambos textus separatim edere decrevimus.

Carmen ad **Venceslaum Hyndracum** (nr. 62) in codice **U** et in editione **i** exstat. Textui in **U** contento scriba in fine carminis hanc notam ad Hyndracum pertinentem addidit: „*et totus bonus praeterquam quod ab ecclesia catholica alienus*“. In iisdem fontibus etiam epitaphia **Ioannis Sokolovii** (nr. 488), **Ioannis Rupovii** (nr. 47), **Hermolai Barbari** (nr. 41) inveniuntur.

Elegia consolatoria ad Wladislaum (nr. 199) in **p** et **i** una cum carmine Ad XIIII sanctos (nr. 30), de quo supra mentio facta est, invenitur. Differentiae nonnullae in orthographia inveniuntur praeter quas solum una differentia in lectione nominanda est: v. 126 *diva novella* **p** *iam nova diva* **i**. Etiam versus 174 - 175 *tune feres...sceptra tibi* omisit **i**, quod autem error scribae esse potest.

Carmen **In Thermas Caroli** (nr. 79) in duabus editionibus exstat, quarum editio **e** Casparis Bruschii anno 1542, editio Thomae Mitis (qua sine dubio etiam Jean de Carro in **c** usus est) fere triginta annos post in lucem edita est. Editionem **i** meliores lectiones habentem ab **e** haud descriptam fuisse putamus.

Sequuntur carmina in *Lucubraciunculis* Petri Schotti (**s**) atque posterius in editione Thomae Mitis (**i**) impressa (nr. 2, 3, 5). Editores epistularum affirmant (**f** pp. XVI – XVII) Thomam Mitem editionem Lucubraciuncularum novisse et pro exemplo usum esse. Hoc loco quaestio ponenda est: Cur Thomas Mitis quattuor carmina Bohuslai ad Schottum in Lucubraciunculis exstantia (nr. 1, partim 4, 6, 7) in editionem suam non assumpsit? Explicationem huius rei afferre non potentes (carmine 7 excepto, quod fortasse

non Bohuslai sed Iani Pannonii esse potest, ut in commentariis explicatur) putamus Thomam Mitem libellum Schotti potius ignorasse. In editione supra dictorum carminum in orthographia lectionem eius, meliorem quam s, sequimur, in aliis casibus lectionem editionis **s** servantes, quae vetustior esse videtur. Ambae lectiones parum differunt (e. g. 2, 44: *inter non Aries* **s** *aut Aries inter* **i** ; 3, 23: *Camenis* **s** *loquelis* **i**). Hoc loco notandum est in inventario bibliothecae Bohuslai librum Lucubratiuncularum non inveniri. In bibliotheca familiae nobilis Lobcowiczianae unum exemplar asservatur, quod autem tempore Bohuslai a Carthusia Buxheimensi possidebatur et postea in bibliothecam Lobcowiczianam venit.

Pauca etiam de carmine **Ad quattuordecim auxiliatores** (nr. 19) dicenda sunt. Inest materia huius carminis non solum in editione **i** Thomae Mitis, sed etiam in libello a Conrado Celte Lipsiae circa annum 1487 emisso. Celtes Bohuslai carmen sub suo nomine edidit, de qua iniuria sibi illata Hassensteinius in sua epistula (Epist. II. 13) conqueritur. Vir doctus Jan Martínek (vide LF 101, Praha 1978, pp. 84 - 93) hanc rem elucubravit ostenditque opusculum Hassensteinii XIV auxiliatores celebrans a Celte paucis verbis mutatis sub titulo Ad Virginem Mariam editum esse. Hoc „furtum poeticum“ in apparatu critico non respicimus ignorantes, quo exemplo Celtis usus sit.

Carmina in uno exemplari exstantia omnia fere in editione Thomae Mitis impressa sunt, praeter duo in codicibus manu scriptis conservata et quattuor epistulis inserta et una cum eis edita.

Nota de siglis deque apparatu critico

Sigla in editionibus prosa oratione scriptorum et epistularum adhibita servare conati sumus, exceptiones in parte praefationis codicum et editionum descriptionem afferente memoravimus. Orthographiam antiquo scribendi modo optimo aptavimus: aspirationem omittimus (*carus, sepulcrum, lacrimae, tura, catena, Etruscus* pro *charus, sepulchrum, lachrymae, thura, cathena, Hetruscus* etc. scribentes), discrimina litterarum e/ae/oe, i/y non respicimus (*caelum, proelium, silva, inclitus* pro *coelum, praelium,*

sylva, inclytus etc. ponentes) carminibus in pluribus codicibus extantibus exceptis. Variationes aliae in apparatu critico notantur.

Ad locos antiquorum et posteriorum auctorum inveniendos editione electronica Bibliothecae Teubnerianae BTL III usi sumus. Praeter hunc fontem etiam nonnulla scripta virorum litteris humanioribus studentium in rem nostram convertimus, quae in commentariis singula carmina explicantibus nominamus.

GRATIARUM ACTIO

Editione finita eorum meminisse decet, sine quorum opera haec editio lucem publicam aspicere non posset. Gratias itaque agimus dominae doctissimae Dana Martínková, quae nos suis consiliis sublevavit, Camillo Boldan, custodi bibliothecae Nationalis Pragensis, qui nos de thesauris bibliothecae Hassensteinianae certiores fecit, sodali nostrae Barbarae Krylová, quae Hassensteinii versus Graecos edendos paravit, moderatricibus Bibliothecae Musaei nationalis Helgae Turková et Mariae Šírová, quae nobis in opere nostro non deerant, omnibus denique collegis, quorum rationibus usi sumus. In primis autem familiae nostrae multa debemus nos omni tempore adiuvanti.

Haec editio partim impensis Instituti scientiae fovendae Reipublicae Bohemicae GA ČR parata est (Nr. 405/03/1068).

LIBRORUM ET COMMENTATIONUM TITULI EORUMQUE ABBREVIATIONES IN PRAEFATIONE ET IN COMMENTARIIS ADHIBITAE

Opera ad Hassensteinii vitam et scripta spectantia

AUC: Acta Universitatis Carolinae (nomen ephemeridis)

Bernau, F.: Hassenstein. Ein Beitrag zur Geschichte des Erzgebirges. B. Leipa 1893, pp. 119 – 150.

Bruckner, U.: Zu Bohuslaus von Lobkowicz und Aeneas Sylvius Piccolomini, LF 103, 1980, p. 79 sqq.

Bujnoch, J.: Zwei Traktate des Bohuslaus Hassenstein von Lobkowicz zum Thema "De re publica" in Briefform an König Wladislaw II. und Peter von Rosenberg 1497 und 1499, in; Studien zum Humanismus in den Böhmischen Ländern 11, 1988, pp. 157 - 175.

Businská, H.; Martínek, J.: Renata poesis, Pragae 1975, pp. 2 – 7, 279.

Colerus, J. Ch.: Commentatio historica de Bohuslai Hassensteini liberi baronis Lobcovici vita et summis in rem literariam meritis, 1721, Vitembergae, ex officina viduae Gerdesianae.

Cornova, I.: Der grosse Böhme Bohuslaw von Lobkowicz und in Hassenstein nach seinen eigenen Schriften, Prag 1808.

ČČM: Časopis Českého Musea (Ephemerides Musaei Nationalis Bohemiae)

Ellinger, G.: Italien und der deutsche Humanismus in der neulateinischen Lyrik, Berlin u. Leipzig 1929, p. 133, p. 411 sqq.

ERP: Enchiridion renatae poesis (Bohemice: Rukověť humanistického básnictví), Tom. I. – V. auctoribus A. Truhlář, C. Hrdina, J. Martínek, J. Hejnic, annis 1966 – 1982 Pragae editum. De Hassensteinio in tomo III. disseritur, pp. 170 – 203 bibliographia usque ad annum 1969 addita.

Fógel, J.: Bohuslaus Hassensteinius unter den Humanisten Ungarns. Ungarische Rundschau 1913.

Fógel, J.: Hasišteini Lobkovic Bohuslav a magyarországi humanisták között, in: Dlgozatok Békefi Remig egyetemi tanári müködésének emlékére irták tanitványai, Budapest 1912, p. 212 sqq.

Gerst, K.: Bohuslaus von Hassenstein, Böhmens erster Humanist, in: 24. Jahresbericht des deutschen Staats-realgymnasiums in Rumburg 1933, s. 21n. Contiunuatio in: 25. Jahresbericht...Rumburg 1934, p. 19 sqq.

Goleniščev-Kutuzov, I. N.: Italjanskoje vozroždĕnije i slavjanskije litĕratury 15.-16. vĕkov, Moskva 1963, pp. 188 - 192.

GW: Gesamtkatalog der Wiegendrucke, Leipzig 1925...

Hassenstein einst und jetzt. Gesammelt von W. Hassenstein, neu bearbeitet von S. Hassenstein, Stade 1967, pp. 58 - 66 et passim.

Heumann, Ch. A.: Programma quo Bohuslai Hassensteinii nomen atque ingenium immeritae prorsus obscuritati...subducunt, Gottingae, litteris Iosquini Woyken 1717.

Kardos, T.: A magyárországi humanizmus kora, Budapest 1955. Partis huius operis ad scriptores Bohemos spectantis versionem Bohemicam vide in: Česká literatura 9 (1961) Kardos, T.: Čeští humanisté a budínská skupina učené společnosti dunajské, p. 308 sqq.

Karfík F.: Bohuslav von Lobkowicz und der Florentiner Platonismus, in: Florentine Platonism and Central Europe, ed. J. Matula, Olomouc 2001, pp. 41 – 71.

Kasík, S., Mašek, P., Mžyková, M.: Lobkowiczové. Dějiny a genealogie rodu. Veduta, České Budějovice 2002.

Kosta, O.: Goethe und Bohuslav Hasištejnský z Lobkovic, in: Weimarer Beiträge, Zeitschrift für deutsche Literaturgeschichte 6 (1960) – III, p. 612 sqq.

Lebek, W. D.: Corrections and Explanations in Twenty-Nine Latin Poets of the Renaissance, Humanistica Lovaniensia 27, 1978, pp. 317 – 318.

LF: Listy filologické (Folia philologica), nomen ephemeridis.

Macek: Macek, J.: Jagellonský věk v českých zemích, Tom. I. – IV., Pragae 2002.

Martínek, J.; Martínková, D.: Ad Bohuslai Hassensteinii a Lobkowicz epistularum volumen primum addenda, LF 92 (1969), p. 362.

Martínek, J.: Antike Formen und Stoffe in der böhmischen und mährischen humanistischen Literatur, in: Antiquitas graeco – romana ac tempora nostra, Acta congressus internationalis...Brunae 1966, Praha 1968, pp. 369 - 375.

Martínek: Das Bild von Aeneas Silvius Piccolomini im Prosawerk des Bohuslaus von Lobkowicz. In: Studien zum Humanismus in den Böhmischen Ländern, 13, 1991, pp. 7 - 18.

Martínek: Böhmische und fränkische Humanisten in ihren wechselseitigen Beziehungen. 118. Bericht des historischen Vereins Bamberg (1982), pp. 107 - 116.

Martínek, J.: Bohuslai a Lobkowicz in Thomam Bakócz de Erdöd carmen, LF 112 (1989), pp. 97 - 103.

Martínek, J.: Bohuslaus Hassensteinius a Lobkowicz meliorne poeta an orator fuerit, in: Classica atque mediaevalia Jaroslao Ludvíkovský octogenario oblata, Brno 1975, pp. 247 - 252.

Martínek, J.: Bohuslaus von Lobkowicz und die Antike, in: LF 103 (1980), pp. 24 – 30.

Martínek, J.: Bohuslaus von Lobkowicz und Konrad Wimpina, in: Die Oderuniversität Frankfurt, Beiträge zu ihrer Geschichte, Weimar 1983, pp. 239 - 242.

Martínek, J.: Bohuslav z Lobkovic a severozápadní Čechy, in: Zprávy a studie krajského musea v Teplicích 15, 1982, pp. 55 – 62.

Martínek, J.: Časové určení listů Bohuslava z Lobkovic dochovaných mimo chronologické řady, in: Strahovská knihovna 16 – 17, 1981 – 82, pp. 45 – 73.

Martínek, J.: De Bohuslai Hassensteinii et Augustini Moravi epistulis, ZJKF 1962, a. IV., nr.2, pp. 96 – 108).

Martínek, J.: De chirographo Bohuslai a Lobkowicz, LF 107 (1984), pp. 149 - 157.

Martínek, J.: De Conrado Celte et Bohuslao Hassensteinio, LF 101, Praha 1978, pp. 84 - 93.

Martínek, J.: De falsa litterarum gloria Bernardo Adelmanno facta, LF 108, 1985, pp. 204 – 217.

Martínek, J.: De maximis Bohemiae fluminibus ingenio Bohuslai a Lobkowitz celebratis LF 116 (1993), pp. 40 – 44.

Martínek, J.: Humanisté a mecenáši, LF 110, 1987, pp. 25 – 29.

Mart. Has. škola: Martínek, J.: Humanistická škola na Hasištejně (De schola litterarum in arce Hassensteinia), in: AUC – HUCP, Tom. XXI. – Fasc. 2, 1981, pp. 23 – 47.

Martínek, J.: K datování listů Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, in: Strahovská knihovna 14 – 15, 1979 – 1980, pp. 75 – 102.

Mart. Ke krit.: Martínek, J.: Ke kritice a datování básnického díla Bohuslava z Lobkovic, LF 103, 1980, pp. 230 – 240.

Martínek, J.; Martínková, D.: Místní jména v českých zemích v dopisech Bohuslava z Lobkovic, ZMK 21, 1980, pp. 459 – 462.

Martínek, J.: Pobyt Konráda Celta na Moravě, LF 105, 1982, pp. 23 – 29.

Martínek, J.: Působení Bohuslava z Lobkovic ve světle nové datace jeho spisů, LF 109, 1986, p. 76 sqq.

Martínek, J.: Quaestiones ad Bohuslai Hassensteinii vitam pertinentes, LF 90, 1967, pp. 317 - 320.

Martínek, J.: Quid Bohuslaus Hassensteinius a Lobkowicz de Matthia Corvino senserit, ZbFFUKom, Graecolatina et orientalia 4, 1972, pp. 21 – 32 (abbreviatur ZbFFUKom 4).

Martínek, J.; Martínková, D.: Quo modo Bohuslaus Hassensteinius res a Vladislao rege Hungariae et Bohemiae gestas aestimarit, ZbFFUKom, Graecolatina et orientalia 6, 1974, pp. 81 – 103 (abbreviatur ZbFFUKom 6).

Martínek, J.: Quo modo Bohuslaus Hassensteinius in patriam animatus fuerit, LF 93, 1970, pp. 37 – 43.

Martínek, J.: Srovnání Přemysla Oráče se Seianem u Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, in: ZJKF 1965, a. VII, nr.3, pp. 169 – 171.

Martínek, J.: Starší období Všehrdovy literární činnosti, LF 104, 1981, pp. 90 - 94.

Martínek, J.: Vztahy předních latinsky píšících humanistů v Čechách k pražské universitě, in: AUC – HUCP, Tom. IV. – Fasc. 1 – 2, 1974, pp. 7 – 18.

Martínková, D., Martínek, J.: Žádost moravské šlechty papeži Alexandrovi VI. o potvrzení Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic olomouckým biskupem, LF 102, 1979, p. 145.

Martínková, D.: Antičtí autoři v traktátu Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic o správě státu, in: LF 3/89, Praha 1966, pp. 299 - 303.

Martínková, D.: Nález spisu Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic o správě státu, ZJKF 1961, a. III., nr. 3, pp. 121 – 126.

Martínková, D.: Několik poznámek k latinskému a českému textu traktátu Bohuslava Hasištejnského o správě státu, in: ZJKF 1966, a. VIII., nr. 1, pp. 9 – 14.

Martínková, D.: Ohlas vynálezu knihtisku v naší latinsky psané literatuře, in: Knihtisk a kniha v českých zemích od husiství do Bílé hory. Sborník prací k 500. výročí českého knihtisku, Praha 1970, pp. 151 – 167.

Martínková, D.: Příspěvek k jazykovému rozboru prózy Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, in: Strahovská knihovna 5 – 6, 1970 – 71, pp. 361 – 368.

Martínková, D.: Über ein bisher unbekanntes Gedicht des böhmischen Humanisten Bohuslaus Hassensteinius von Lobkowicz, in: ZbFFUKom, Graecolatina et orientalia 5 , 1973, pp. 205 - 209.

Matl, J.: K vztahům Bohuslava Hasištejnského a Viktorina ze Všehrd, LF 101, 1978, pp. 17 – 24.

Neuber, W.: Bohuslav Lobkowicz von Hassenstein. Zum Problem von Reiseperzeption und humanistischer Bildung, in: Die osterreichische Literatur. Ihr Profil von den Anfängen im Mittelalter bis ins 18. Jahrhundert (1050 – 1750). Ed. H. Zeman, Tom. II/1, Wien 1986, pp. 833 - 844.

Potuček: Bohuslaus Hassensteinius baro a Lobkowicz, Epistolae, accedunt epistolae ad Bohuslaum scriptae. Ed. Augustinus Potuček, Budapest 1946, praef. pp. I – XLIII..

Pražák, A.: Působení Bohuslava Hasištejnského v Uhrách. in: Humanismus a renesance na Slovensku, Bratislava 1967, s. 332 - 355.

Previale, L.: Bohusslaus Hassensteinius Baro a Lobkowicz e gli umanisti italiani. In: Convivium, nr.1, Torino 1949.

Ryba, B.: Filosofická prosa Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, in: LF 58 (1931), pp. 262 – 268, 421 – 427.

Ryba, B.: Spisy Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, Praha 1933, praef. pp. 1 – 26.

Schnur, H.S.: Die Hirtenflöte, Leipzig 1978, pp. 122 – 125, 383 – 384.

SNM: Sborník Národního muzea (Acta Musaei Nationalis) - nomen ephemeridis.

Strahovská knihovna: Bibliotheca Strahoviensis – nomen ephemeridis.

Tomek: Dějepis: Tomek, W. W.: Dějepis města Prahy (Historia urbis Pragae), Tom. 9 – 10, Pragae 1894.

Töpffer, H. A.: De vita summisque in rem literariam meritis Bohuslai Hassensteini etc., Vitembergae, ex officina Gerdesiana 1719.

Truhlář, J.: Bohuslav Hasištejnský a Konrád Celtes, in ČČM 1831.

Truh. Hum.: Truhlář, J.: Humanismus a humanisté v Čechách za krále Vladislava II. (De litteris Wladislao regnante in Bohemia renascentibus earumque cultoribus) Rozpravy...České akademie (Studia academiae Bohemicae), 3. třída (classis), nr. 4, Pragae 1894.

Vaculínová, M.: Milostná a přírodní lyrika Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic v dobovém kontextu. In: Sborník Národního muzea, ordo C, Praha 2000.

Vaculínová, M.: De olla in Penica, oppido Misniae, Bohuslai Hassensteinii carmen (Bohuslav von Lobkowicz und Hassenstein und sein Gedicht von dem Großen Topf zu Penig). LF 127, 3 - 4, 2004, s. 306 - 309.

Vaculínová, M.: The Incorrect Attribution of Aenea Silvio's Poem "De passione Christi" to Bohuslaus of Lobkowicz and

Hassenstein and Some Notes on Datation of His Printed Works, in: LF vol. 128, 1 – 2, pp. 35 – 46.

V D 16: Verzeichnis der im deutschen Sprachbereich erschienenen Drucke des 16. Jahrhunderts.

Vinařický, K.: Pána Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic věk a spisy vybrané, Praha 1836.

The works of Peter Schott (1460 -1490). Ed. M.A. and M.L. Cowie, Univ. North Carolina Press, Vol. I. 1963, Vol. II. 1971. (de Bohuslao Vol. II. pp. 729 - 731)

ZbFFUKom: Zborník filozofickej fakulty univerzity Komenského (Lat.: Collectanea facultatis philosophicae universitatis Comenianae Posoniensis) - nomen ephemeridis, in lingua Slovaca abbreviatum.

ZJKF: Zprávy Jednoty klasických filologů (Lat.: Nuntii Consociationis philologorum classicorum).

(Alii libri et ephemerides in commentariis nominantur.)

Opera selecta bibliothecam Hassensteinii tractantia

Boldan, K.: Knihovna Jana Zajíce z Házmburka (1496 – 1553), in: K výzkumu zámeckých, měšťanských a církevních knihoven. Opera romanica 4, Editio Universitatis Bohemiae Meridionalis, 2003, pp. 41, 51, 56.

Boldan, K.: K otázce písaře rukopisu křivoklátské Fürstenberské knihovny sign. I d 17, in: Miscellanea oddělení rukopisů a starých tisků 11 (1994), Praha 1995, pp. 20 – 31.

Boldan, K.; Urbánková, E.: Rekonstrukce knihovny Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, Praha 2006 (nondum editum).

Clemen, O.: Zur Geschichte der Hassensteinschen Bibliothek, in: Beiträge zur Reformationsgeschichte aus Büchern und Handschriften der Zwickauer Ratsschulbibliothek 3 (1903), p. 87.

Flodr, M.: Les auteurs grecs et romains dans la bibliotheque de Bohuslav Hasichteinský de Lobkovitz, in Sborník prací FF Brněnské university, a. XII, 1963, řada archeologicko-klasická (series archeologica – classica), E 8, pp.115 – 120.

Flodr, M: Die griechische und römische Literatur in tschechischen Bibliotheken im Mittelalter und der Renaissance, Opera universitatis Purkynianae Brunensis 115, Brno 1966.

Handbuch deutscher historischer Buchbestände in Europa. Bd. 3. Tschechische Republik. Böhmen. Mähren. Red. V. Faltysová, C. Blum, K. Kloth, Zürich – New York 1998, pp. 102-115. De bibliotheca Lobcowiciana nunc in arce Nelahozeves locata disserunt A. Richterová, L. De Barbieri, J. Kašparová, K. Boldan.

Karfík, F.: Ficiniana v knihovně Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic, in: Bene scripsisti...Filosofie od středověku k novověku. Sborník k sedmdesátinám Stanislava Sousedíka, edd. Beneš, J.; Glombíček, P.; Urbánek, V., Praha 2002, pp. 87 – 108.

Martínek, J.: O původu vazby hasištejnských knih, in: Pocta dr. Emmě Urbánkové, Praha 1979, pp. 235 – 238.

Olivier, J.M.; Monégier du Sorbier, M.: Catalogue des manuscrits Grecs de Tschécoslovaquie, Paris 1983, pp. 93 – 149, praef. p. XXI.

Průvodce po rukopisných fondech v České republice I. Rukopisné fondy zámeckých, hradních a palácových knihoven, Archiv AV ČR Praha 1995, pp. 119 - 129. (notis bibliographicis ad historiam bibliothecae Lobcowiczianae Raudnitzensis additis).

Richterová, A, Boldan, K.: Library of Bohuslav Hasištejn of Lobkowicz from Collection of the Roudnice Lobkowiczer Library, Praha 1995.

Richterová, A.: Vývoj roudnické lobkovické knihovny, Praha 1989.

(alia opera in ERP, p. 203 et in opere a K. Boldan et E. Urbánková scripto enumerantur)

SIGLA

a) codicum (vide praef. pp. XIV – XVI)

B cod. bibl. nat. Vindobonensis 3510 (16 in.)
C fol. Autographotecae Campori Modenensis VI 93b (15 ex.)
D cod. bibl. univ. Pragensis 10 A 25 adl. (16 in.)
G cod. bibl. univ. Lipsiensis 186 (1500)
K cod. bibl. Szechenyianae Budapestinensis (post 1522)
N cod. bibl. nat. Vindobonensis 3482 (paulo ante 12.10. 1499)
U cod. bibl. univ. Pragensis I D 3 (15 ex. - 16 in.)
Y cod. bibl. nat. Vindobonensis 3271 (15 ex. – 16 in.)

b) editionum (plenos titulos serie temporis dispositos v. praef. pp. XVI – XXII)

a Potuček: Epistulae (1946)
b Buonamici: Orationes duae (1554)
c Carro: Thermae (1829)
d Mitis: Farrago poematum (1570)
Appendix poematum (1570)
e Bruschius: Encomia Hubae (1542)
f Epistulae Tom. II. (1980)
g Cowie: Schott (1963, 1971)
h Paprocký: Diadochus (1602)
i Mitis: Farrago prima (1562)
k Kollar: Hungaria (1763)
l Carmen heroicum (1688)
m Martínková: Modena (1973)
n Reusner: Aenigmata (1599, 1602)
o Reusner: Picta poesis (1580)
p Opuscula (1512?)
q Reusner: Itinerarium (1590, 1592)

r Ryba: Spisy prozaické (1933)
s Schott: Lucubraciunculae (1498)
t Truhlář: Listář (1893)
v L. Sspan: Laudes (1560)
z Martínek in Foliis philologicis (1985, 1989)

HASSENSTEINII OPERA POETICA

1

(Bohuslaus de Hassenstein Petro Schotto Argentinensi)

Legimus argutas iucunda mente Camenas,
  legimus ingenii scripta diserta tui.
Nec tantum Ismarius miratur collis Iacchum,
  ut stupuere tuum pectora nostra melos.
Nam veluti pelagi tenebrosis ortus ab undis 5
  Cynthius excellit sidera cuncta poli,
sic te barbarico natum de sanguine, Petre,
  vidimus Ascraeos exuperasse modos.
Optat Erythraeis alius fulgere lapillis
  et niveas Tyrio murice pingit oves, 10
sed te sacra iuvant doctarum plectra sororum
  atque Medusaeae munera clara deae.
Este procul Latii vestrum celebrare Maronem!
  Noster erit Rhenus clarior Eridano.

2

(Ad Petrum Schottum elegia VI.)

Eloquium veteres clari mirantur Ulixis
  mellifluisque canunt vocibus acta viri,

1. 3 Ismarius: Hismarius s Iacchum: Iachum s **9** Erythraeis: Erithreis s

3 Ismarius collis: cf. Auson. Mos. 159 **10** Tyrio murice: cf. 141, 5 niveas...oves: cf. Tib. 2, 4, 28

2. *titulus*: Bohuslaus de Hassenstein Petro Schotto Argentinensi s **1** Ulixis s Ulyssis i

at nos maiori celebramur, Petre, cothurno
  Dulichiumque tuo vincimus ingenio.
Oceanae totidem non spumant fluctibus undae, 5
  cum Boreas gelidi spirat ab axe poli
nec tot in Aetnaea crescebant gramina valle,
  filia frugiferae cum raperere deae,
audes quot tu, Petre, meas ornare Camenas
  laudibus et superis arte referre parem. 10
Non sic doctiloquo Nemesis cantata Tibullo,
  non sic Nasoni dicta Corinna fuit.
Cantibus innumeris quem tu super astra tulisti,
  vix meruit Stygios non tetigisse lacus.
Quid iuvat ignoti generis primordia cantu 15
  promere, quid sterili condere semen agro?
Scilicet id studium Phoebus Musaeque requirunt
  Gorgoneumque gerens casta Minerva caput.
Non ego, supremi proles veneranda Tonantis,
  Alcides, soboles non, Cytherea, tua, 20
non mea Pegasides cinxerunt tempora lauro
  nostra nec Aonio labra liquore madent.
Haud tribuenda tibi, iuvenum clarissime, debes
  tam falso titulis inseruisse meis.
Id tamen horrendo praecordia nostra dolore 25
  perculit hocque nefas excidit ore tuo:
"Gloria nulla mihi", dicis tu, gloria vatum,
  cuius Apollineum corpore pendet ebur,
doctius Ausoniae quo nullus dogmata noscit
  grammatices, Latio sit licet orbe satus. 30
Sic nec Aristoteles cunctis vulgatus in oris
  arte rotam logices volvit et ingenio.

7 Aetnaea: Aethnaea **i** Ethnea **s** **12** Corinna fuit **i** Torinna suo **s** **17** Phoebus **i** Phoebi **s** **27** vatum **i** natum **s** **31** Aristoteles **i** Aristotiles **s**

6 Boreas spirat: cf. Manil. 5, 105 **14** Stygios lacus: cf. 30, 58 **16** condere semen: cf. Ov. Pont. 1, 5, 34 **19** proles...Tonantis: cf. Iuvenc. 3, 675

Quid loquar altiloquum magni Ciceronis acumen
  atque Meletei dulcia plectra viri?
Ore tonas veluti volucer Tegeaticus esses, 35
  qui Phlegethonteas sistere possit aquas.
Hyblaeo melius sapiunt tua carmina melle
  quicquid et Assyrius gignit odoris ager.
Te duce Castaliis erumpunt fontibus amnes
  et nemoris sacri frondea tecta virent. 40
Annaei vatis pauci meminere poetae,
  tu tacuisse tuum non potes ingenium.
Nec te praetereunt stellati lumina caeli,
  inter non Aries sidera clara micans,
per mare coniunctam Phrixo qui detulit Hellen 45
  dentibus et Tyrium qui spoliasse solum
fertur, Agenoream post haec rapuisse puellam,
  Oebalio vatum seu sit olore genus
et tepidus Cancer Iunonis numine lucens
  Herculeaeque manens Sirius ore ferae. 50
Virginis Astraeae radios tua pectora noscunt
  quamve poli partem Scorpius acer habet
Centaurique trucis faciem grandesque sagittas
  quique nitet placidis cornibus Aegoceros
et Ganymedeis ubi caelum clauditur urnis 55
  atque Dionaei quo sit imago loco.
Quid referam geminas Arctos torvumque Draconem
  Gnosiacae Liber quaeque dedit dominae?
Talibus accedunt nebulae ventique feroces
  siccaque cur pluviis saepe madescat humus, 60
Titan cur pelagi toties se condat in undis

34 Meletei: Melethaei s Meletaei i **35** Tegeaticus s Tegeeticus i **36** Phlegethonteas i Flegetontaeas s **40** frondea i frondia s **44** inter non Aries s aut Aries inter i **45** Phrixo: Phryxo i Frixo s **48** vatum i natum s **55** Ganymedeis: Ganymedaeis i Ganimedeis s **56** Dionaei i Dionea s

33 Ciceronis acumen: Mar. Victor. rhet. 1, 2, 156, 6 **52** Scorpius acer: cf. Manil. 5, 697

purus et Eoas lumine lustret aquas.
Te non Cadmeo medicatum vellus aheno
commovet aut flavi dives arena Tagi.
Te, si Dardaniae vidissent saecula cladis, 65
Atrides Pylio praeposuisset hero.
Te, si Socratico vixisses tempore, Phoebus
Cecropio potuit antetulisse seni.
Nulla dies tantas moles lacerare valebit
virtutum, superi fulmina nulla Iovis. 70
Tale igitur nunquam verbum labatur ab ore:
Gloria nulla mihi, gloria quippe tibi.
Rursus barbarici Germanos sanguinis esse,
Petre, negas, veteres quod voluere viri.
Nos imitamur eos veniam tardeque precamur, 75
compulsi scriptis cedimus ecce tuis.
Foedus amicitiae laudas priscaeque cohorti
heroum praefers - nec pudet ista loqui.
Ipsene Peliaco patefeci robore pontum
atque Cyanei grandia saxa freti? 80
Anne meus genitor tumidum se iecit in aequor
arce videns celsae carbassa nigra ratis?
Ipsene pro caro discrimen mortis Oreste
aggressus Pyladis fortia facta sequor?
Ipsene fulmineum Rutuli clamantis in ore 85
mucronem fixi tristia fata petens?
Praeterea nos posse refers depellere caecum
errorem, nostro qui viget in populo.
Quos nec pontificum virtus immensa superno
coniunxit Domino nullaque iussa Dei. 90
Ipsa Sigismundi cesserunt regna profanis
gentibus et sacri fulmina concilii.

62 rursus s purus i lustret i lustrat s **75** tardeque i sed tarde s **83** Oreste i Horeste s **91** profanis i prophanis s

62 Eoas aquas: cf. Ov. Pont. 4, 6, 48 **85** fulmineum...ore: cf. Verg. Aen. 9, 442 **91** Stat. Theb. 1, 1

Et modo Pannonii certarunt pectore vasto,
hi tamen infando nil nocuere gregi.
Tot magni cecidere duces, sed perfida secta 95
durat et a cunctis inviolata manet.
Sola Dei pietas poterit purgare nefandam
colluviem, rabidas vincere sola feras.
Nec verum dixisse pudet patriaeque furorem
perversum fidibus exposuisse meis. 100
Tu requiem, Genitor, miseris da et pristina confer
tempora, quae nostri quondam habuere patres.
Nos te (quem ingenio grandi florere videmus)
diligimus, veluti maximus Aeacides
Patroclum coluit vel ceu praeclarus amasse 105
dicitur Atrides te, Menelae, tuus.
Sidera dum caelo stabunt, dum montibus orni,
aequore dum pisces, tu mihi carus eris.
Prisca iuvent alios, nobis placuere diserti
scripta Petri vatis, quem superasse ferunt 110
Bistonii citharam fibrisque Amphiona notum
atque lyrae cantus, Pindare docte, tuae.

3

(In aemulum Petri Schotti elegia IX.)

Ante Lycaonius mergetur in aequore custos
discet et oceanas Parrhasis ursa vias,
lucidus umbrosum continget Phoebus Avernum,
desinet in curru Cynthia clara vehi,

97 nefandam i nephandam s **106** te i tu s **111** Bistonii s Bysthonii i

93 et modo...pectore vasto: Homer 919 **95** magni...duces: cf. Prop. 2, 8, 9 **107** montibus orni: cf. Verg. georg. 2, 111 **109** prisca...alios: cf. Ov. ars 3, 121

3. *in titulo*: Bohuslai de Hassenstein ad Emulum Petri Schotti carmen elegiacum s **2** oceanas i occeanas s

2 Parrhasis ursa: cf. Ov. epist. 18, 152

mens sceleri consueta prius quam crimen amatum 5
et proprios mores deseruisse velit.
Scilicet idcirco discerpor dentibus a te,
quod volui morbo consuluisse tuo.
Officit et nobis monuisse fideliter, ora
ne macules probris flagitiisque tua, 10
non aliter forsan fragiles expromere vires
ingenii poteras eloquiique tui.
Nec pudet haec de te merito maledicta referre,
sanguinis Arctoi dedecus atque lues.
Et, dum Dardanios velles cantare labores, 15
ipse argumentum materiamque dedi.
At quales versus scribis? Quae carmina? Certe
Choerilon et Bavium saecula nostra ferunt.
Non tibi iucundum quicquam, non mica leporis,
produnt autorem carmina vana suum. 20
Obiicis, altiloqui quod protego vatis honorem,
cui te non puduit supposuisse caput,
qui Latiis quanquam niteat Graiisque Camenis,
optaret vacuus laudibus esse tuis.
Nam quis non timeat talis praeconia linguae, 25
quae tantum similes tollere in astra solet?
Verbera deinde mihi rursus dentemque minaris,
nostra sine involvi stercore membra prius;
tunc poteris foedos nobis infigere dentes
et suis obscenae turpia facta sequi. 30
Istud quippe tibi nomen placuisse videtur,
nuper ut id Petro carmina missa probant.
Lumina fronte mihi vellis divosque precaris,

6 proprios s proprio i **7** idcirco s iccirco i **13** de te merito i merito de te s **18** Choerilon: Cherylon is **23** Camenis s loquelis i **24** tuis i tui s **26** astra s alta i **32** id *om.* s

10 probris flagitiisque: cf. Cic. Verr. 1, 82, 102, 24 **13** maledicta referre: cf. Dist. Cat. 2, 15, 1 **18** Choerilon et Bavium: cf. 309, 7 Choerilon: cf. Hor. ars. 356; epist. 2, 1, 233 Bavium: cf. Verg. ecl. 3, 90 **21** vatis honorem: cf. Stat. silv. 4, 4, 101 **33** lumina fronte: cf. Sil. 9, 400

ut lacerent saevi viscera nostra canes
utque miser fiam nec sim miserabilis ulli, 35
exul ut Eoos cogar adire Lares.
In caput ista tuum convertant numina caeli
suppliciumque lues, si pia vota valent.
Reprime latratum, petulantem reprime linguam,
reprime barbariem stultitiamque tuam. 40
Spicula contineo pueri nec lumina fletu
atque cavas lacrimis cogo madere genas.
Postmodo, si perges sceleratos edere versus,
acrius incumbet nostra Thalia tibi.

4

(Bohuslai de Hassenstein Bohemi Elegiacum in defensionem Petri Schotti contra quendam invidum detractorem)

Eximium vatem mordes qui dente canino,
an dapibus blattam vis satiare novis?
Ista quidem culicum non curant spicula barri
nec vati egregio livida verba nocent.
Fuste quid e duro quadratam marmore turrim 5
et solido muros ex adamante quatis?
Setiger obsceno nutritur stercore porcus,
tu quoque latratu pascere, talpa, tuo.
Dant sine mente sonum raucae per rura cicadae
devia, cum bibulam Sirius urit humum; 10
tu carmen sine mente facis, dum concitus ira
Nyctelii defers cornua fronte dei.

35 miserabilis ulli: cf. Ov. Ib. 117 **38** supplicium lues: cf. Sen. Med. 297 vota valent: cf. Ov. am. 1, 4, 67

4. 2 blattam **s** blattas **i**

9 dant...sonum: cf. Verg. Aen. 10, 640 **10** urit humum: cf. Claud. carm. min. 30, 6

Et timidus veluti patitur cum triste flagellum,
solatur gemitu verbera saeva canis.
Praeteritis sic tu obiectis convicia iactas 15
lurida pestifero corde venena vomens.
Maeoniden fatuo laceravit Zoilus ore,
sed tanti sceleris praemia digna tulit.
Sic tu sacrilego rodis qui carmine Petrum,
a rabidis merito diripiere feris. 20

5

(De Petro Schotto proficiscente Romam. Elegia X.)

Tecta Petrus Romana petens Tuscumque fluentem
forte mihi non plus aspiciendus abit.
Flete poli gemitusque pios date sidera mecum,
flete, precor, casus, aequora saeva, meos.
Non adeo vitreis turgebant lumina guttis, 5
cum genitor Stygias vellet adire domos.
Orbus eram nuper dilectis fratribus, at nunc
dimidia videor parte carere mei.
Hic meus Alcides, hic magno Agamemnone natus
atque Menoetiades Hyrtacidesque fuit. 10
O fortuna mihi semper contraria, quare
dividor a Petro, perfida, quaeso meo?
Scilicet idcirco licuit, quid prosit amicus,
noscere, quo doleam te tribuente magis?
Nonne satis fuerat Laribus privasse paternis 15
exiliumque humeris imposuisse meis?

17 Maeonidem i Maeoniden s

14 gemitu...saeva: cf. Verg. Aen. 6, 557 **18** tanti...praemia: cf. Ov. epist. 7, 114

5. *in titulo:* Carmen elegiacum deplangentis abitum a se Petri Schotti amici Rhomam proficiscentis s **1** Tuscumque s Thuscumque i **6** genitor s genitrix i

8 parte...mei: cf. Ov. am. 1, 7, 24; trist. 4, 10, 32

Dulce sodalitii rursum disrumpere foedus
  non pudet et poenas accumulare meas?
Quis mihi nunc dabitur, studiis qui gaudeat iisdem
  atque Caballini quem iuvet amnis aqua? 20
Qui satiras misero pandet tragicosque cothurnos?
  Quis molles elegos historiasque leget?
Separor a gemino Parnassi vertice tandem,
  separor a Phoebo Pieridumque choro.
Effugere procul citharaeque lyraeque fidesque 25
  nec Clio vati Calliopeque placet.
Omnia muta silent gelidi ceu Strymonis ora,
  dum peteret nigri Thracius antra ducis.
Taliter Aeaciden mortem flevisse sodalis
  crediderim, Phrygii dum perit ense viri. 30

6

(Carmen elegiacum optantis Petro Schotto felicem in patrios Lares regressum)

Ausoniam Petrus gentem Latiosque penates
  et Phaethontei deserit arva Padi.
Sancta Parens rerumque Sator comitetur euntem
  ducat et in patrii lucida tecta Laris,
hic ubi iam reducem post multa pericula natum 5
  expectat socia cum genitrice pater,
hic ubi gaudebunt pueri innuptaeque puellae
  expers laetitiae nec locus ullus erit.
Forsitan et Rhenus posita feritate priori
  mitius Arctoi saxa cavabit agri. 10
Sitque diu felix divino numine postque

19 iisdem i hisdem s

21 tragicosque cothurnos: cf. 24, 133

6. 2 Phaethontei...Padi: cf. Mart. 10, 12, 2 **3** comitetur euntem: cf. 68, 240; 312, 1; 338, 11; Claud. rapt. Pros. 2, 55

tutus ab inferni sit Phlegethontis aquis.

7

(Bohuslai de Hassenstein Amoris sui professio in Petrum Schottum)

Ante revertetur tepidos Hyperion ad ortus,
excipiet stabilem Tethyos unda polum,
Riphaeis nimbis canescere desinet orbis,
nullus in Oceani gurgite piscis erit,
mella ferent rupes, quercus producet aristas, 5
quam meus in Petrum diminuatur amor.

8

(Pax et bellum)

Si pax est, vincit Tyrios facundia sucos,
si bellum, Eoas aerea cuspis opes.

9

(De patria)

Finitimas olim gentes quae Marte premebat,
finitimis premitur patria nunc gladiis.
Quaeque auro pacem ducibus populisque solebat
vendere, nunc auro gaudia pacis emit.

12 Phlegethontis: flegetontis s

7. 2 Tethyos unda: cf. Lucan. 1, 414; Mart. ep. 3, 3 **4** gurgite...erit: cf. Prop. 2, 15, 34

10

(De patria)

Quid patriam laedit? *Procerum concordia discors.*
Nostra quid evertit iura? *Levis gravitas.*
Quid perdit regnum? *Procerum inconstantia constans.*
Quid nos comminuit? *Prodiga avarities.*
Omnia quid turbat? *Procerum sapientia demens,* 5
qualis et Argolicum perdidit imperium.

11

(Ad Matthiam et Wladislaum reges)

Aemulus est Croesi Matthias, colligit aurum,
colligit hic poma, est aemulus Alcinoi.

12

(D. Bohuslai Hasisteynii de propriis Germanorum inventis Carmen heroicum et adhortatio ad praestandam gratitudinem inventoribus bombardarum et chalcographiae)

Gloria si paritur bello studiisque Minervae,
si verus contingit honos Poenique rebelles
magnanimique duces Spartae proceresque potentis
Ausoniae si nomen habent, quia fortibus armis
aeternum meruere decus: si vivit Homerus 5
miraturque sequi non segnem pone Maronem,
si passim resonant Demosthenis ora, theatra
hostili cecidere manu, dum nocte libellos

10. 1 concordia discors: cf. Hor. epist. 1, 12, 19

12. 1 studiisque Minervae: cf. Claud. 18, 273 **3** magnanimique duces: cf. Homer 242

Cecropidum quamquam facundae conscia vocis
versat et ad magnum mavult vigilare Platonem, 10
quam potare merum vel stertere: praemia tandem
caerulei populo Rheni quis digna rependet?
Qui bello adiecit, quae non cognovit Epeus,
Dardanii fabricator equi, Lapithaeque senectus
Trinacrii nec docta viri, quae saepe penates 15
et patriae tutata suae Latiique minacem
ludificata ducem: iuvenum nam mille lacerti
quod nequeunt validusque aries balistaque praestat
aereos imitata sonos, nunc aerea moles
destruit haec, urbes turritaque moenia frangit 20
concutit et regum penetralia, subruit arces
reddit et attonitas immani murmure gentes.
Non adeo certe summi Gradivus Homeri,
non Stentor reboat: vix ipsa tonitrua bombos
dant similes, nigri sinuosa volumina fumi 25
vix densae nubes aequant; nam letifer ignis
cum primum miscuit, campi collesque tremiscunt
finditur et tellus in rimas, ardua caeli
compago quatitur trepidant pecudesque feraeque
nec secus, in terras quam si descenderet aether 30
Aetnaeique uno iacerent sua tela Cyclopes:
Agmine discurrunt per rura armenta gregesque,
mortales cava saxa petunt. Da busta Symandi,
noctivagae da templa deae Libycique Tonantis
pyramidesque Phari, decimum vix machina saxum 35
fusilis excutiet, cedent subitoque peribit
tot labor annorum: quin si coniungis in unum
antiquorum inventa hominum, qui proelia Martis
tractabant, enses, clipeos galeasque comantes,
Parthorum lentos arcus Macedumque sarissas, 40

21 regum penetralia: cf. Verg. Aen. 2, 483 **25** sinuosa volumina: cf. Verg. Aen. 11, 753 **32** armenta gregesque: cf. Ov. met. 1, 5, 12; Stat. Theb. 10, 820 **33** busta Symandi: cf. 130, 7 (bustum Simadis) **35** pyramidesque Phari: cf. Plin. nat. 1, 1, 119, 19 **40** Parthorum arcus: cf. Nemes. cyn. 75

pila Latinorum et Graiae commenta palestrae,
et, quae bella gerit, falcatam, Persa, quadrigam,
quaque rotant liquidum Baleares aera fundam
et, quae conturbat, Gangetica bellua, turmas,
contulerisque novae moli gentisque repertae 45
Arctoae ingenio, quam tofum marmora vincunt,
cornipedes agnos, radiantes Cynthia stellas:
tam superat veterum, quoties ad bella venitur,
instrumenta ducum furibunda haec machina, quodsi
non essent hostes fidei, non barbara cuspis 50
Christicolum vastaret agros miserumque superbi
non premerent vulgus reges, frenator Olympi
iustius humanae hunc auctorem caedis Averno
mersisset Stygiasque egesset fulmine ad umbras,
quam vanus vanum Salmonea Iuppiter olim. 55
Nec satis est Rheno talem adiecisse Chimaeram
ad bellorum usum, libros quoque Palladis arte
ecce premi docuit, quod non Euandria mater,
non exul Tyrius, non amnis filia Graii,
non pronepos novit prisci Tegeaeus Atlantis, 60
non, qui per pelagus recutitos duxit Hebraeos
divisum. Iam cuncta patent meditata Platonis,
dispersis lato per mille volumina mundo
floret Aristoteles, mulier de fine bonorum
disputat, astrorum cursus vastique profunda 65
aequoris et tenui descriptas pulvere formas,
Pythagorae docti numeros umbrasque Thaletis
potores saturi memorant, iam callet ephebus
Lucanum et cantu mordentem provocat ungues
scalpentemque caput digitis cultoque Tibullo 70

46 tofum: tophum **d** **57** *in marg.* **d** : Chalcographia

Macedumque sarissas: cf. Ov. met. 12, 466 **46** tofum marmora: cf. Iuv. 3, 20 **50** barbara cuspis: cf. Balb. Arg. 1, 451 **58** Euandria mater: Sil. 13, 816 **59** exul Tyrius: cf. Stat. Theb. 3, 406 **70** scalpentem...digitis: cf. Sen. contr. 10, 1, 8 (293, 2

certat et in iusta suspensus lance Catullo
vix cedit, iuris nodos et codice magno
gaudentem Baldum, quae iam non tecta loquuntur?
Rhetoras omitto et tenebris manifesta tegentis
maeandros logicae distinctaque scita parentum 75
quattuor in partes numeroso interprete leges
ostendente Dei et sensus pandente latentes.
Quod si flava Ceres colitur vitisque repertor,
si medicae monstrator opis, si Pallas olivae
inventrix, quae corpus alunt viresque tuentur 80
atque statim peritura iuvant: quam dignius aras
artifici statues tanto studiosa iuventus,
qui cuncta a prima nascentis origine mundi
protulit in lucem, qui regum gesta ducumque
edidit in populos, qui belli iura togaeque 85
prodidit et florum sucos herbasque salubres,
quas Nilus, quas mollis Arabs, quas mittitis Indi,
invida quam libris medicorum turba tegebat
hactenus: extremi qui vobis devia mundi
et Solis vulgavit iter Lunaeque perennes 90
reddidit et multos, quos iam fortasse vetustas
extinctura fuit: nam Rheni tolle bicornis
ingenium et legitur qui nunc totumque per orbem
fertur, in immundo latitabit pulvere Naso
oreque carpetur tineae pascetque malignam 95
librorum pestem, blattas tantumque manebit
e Fabio, quantum permittet penula myrrhae
et non consument velantes tura cuculli,
quantum et mortiferae patietur pinna sagittae

98 tura: thura **d**

72 iuris nodos: cf. Iuv. 8, 50 **74** tenebris manifesta: cf. Claud. 28, 480 **78** vitisque repertor: cf. Ov. am. 1, 3, 11 **79** medicae opis: cf. Ov. rem. 76 **79 – 80** olivae inventrix: cf. Verg. georg. 1, 18-19 **87** mollis Arabs: cf. Claud. 8, 258 **88** turba tegebat: cf. Verg. Aen. 11, 12-13 **89** devia mundi: cf. Lucan. 8, 209 **90** vulgavit iter: cf. Claud. 26, 285 **95** ore...tineae: cf. Ov. Pont. 1, 1, 72

involucrique usum praebebit Tullius, ignem 100
accola nec fugiet Baetis, censente senatu
vertice laetantum tonso, quod multa canoro
non toleranda piis modulatur carmine: sed quid
hos memoro, quos nostra fugit meritoque cavendos
religio credit, tamquam sub melle venenum 105
occultent, tectus gentis, pater ille, iaceret
gloria Dalmaticae, triplicis cui laurea linguae
soli pene datur: vel, quo se iactet alumno
Africa, cui et ore fluunt non mella, sed aurum.
Primus et intactum velis Adamantius aequor 110
scindere conatus legisque aperire supernae
mystica, nunc autem felici munere Rheni
et Germanorum summa virtute reclusa
omnia sunt animumque licet iam rore beato
pascere sidereoque cibo recreare labantis 115
spiritus esuriem caelesti nectare longam:
Iam mentis satiare sitim volucrisque pusillae
more salutiferos passim decerpere flores.
Ingerit Insubrum se nobis praesul, Aquini
laus melior tenebras naturae discutit altos 120
transgrediturque polos, volitat per inane Britannus
doctrinae sublatus equis arcanaque Paulo
et non visa prius discit, mortalia primum
curat, in angelicos se tollit deinde recessus,
magnus et ad caelum penetrat sedesque Tonantis: 125
innumerique alii, quos si comprendere possem,
Sauromatum bubulcos referam frondesque Lyaei

106 *in marg.* **d**: D. Hieronymus **108** *in marg.* **d**: D. Cyprianus **110** *in marg.* **d**: Origenes dictus Adamantinus **112** felici: faelici **d** **116** caelesti: coelesti **d** **120** *in marg.* **d**: D.Ambrosius **121** *in marg.* **d**: Thomas Aquinas **123** *in marg.* **d**: Beda Anglus **127** bubulcos: bibulos **d** Lyaei: Lycei **d**

116 caelesti nectare: cf. Ov. met. 4, 252 **118** decerpere flores: cf. Lucr. 1, 928 **125** caelum sedesque Tonantis: cf. Sulp. Appoll. Verg. Aen. 10, 61 **127** Sauromatum bubulcos: cf. Ov. trist. 3, 12, 30 frondesque Lyaei: cf. Nemes. ecl. 3, 38

et patriae pestes numerabo: Gargara, dicam,
quot segetes habeant, quot Tempe gramina, montes
Riphaei cumulos nivium Medique pharetras. 130
Vos igitur populi Calpes Sicorisque Tagique
et quicumque Ararin bibitis Rutupinaque saxa
qui colitis positamque extremo cardine Thulen
atque Calydonia struitis mapalia silva,
qui Trebiae potatis aquas Tiberimque Latinum 135
et Calabros versatis agros et falce putatis
populei vineta Padi Rhenique minoris:
vos etiam, quos iam ferme deleverat aetas,
Gravigenae, quorum Germania nostra labores
vindicat a tenebris, dignas persolvite grates 140
Danubio, si vera salus, si plectra fidesque,
si veterum monumenta virum, si gloria cordi est.
Vos quoque bellaces populi, quos frigidus Albis
Pannoniusque Savus genuit Cimbrique feroces
et quos tauriferis disiungit Vistula campis 145
et quos Parrhasio tellus subiecta Booti
perpetuaeque tenent hiemes, si sanguine fuso
partus honor vobis curae, si nomen habere
immortale iuvat, Germanis dicite laudes.
Hos molli celebrate lyra, celebrate Camenis, 150
si quid vestra potest Euterpe, si quid Apollo,
horum fingat ebur vultus, his sudet Apelles,
ingenium saxosa Paros his marmora gignat,
praebeat aes Ephyre, Lysippi dextra laboret,
his Tartesiacis quaesiti classibus Indi, 160
his Arabes plaudant, his totus denique mundus,
cum meritam nequeat mercedem reddere, saltem
gratum sese animo semper testetur et ore.

137 *in marg.* **d**: Rhenus minor fluvius Aemiliae per Bononiam labitur **140** vindicat: vinicat **d**

128 – 129 Gargara...habeant: cf. Ov. ars 1, 57 **145** tauriferis campis: cf. Lucan. 1, 473 **147** perpetuae hiemes: cf. Lucan. 4, 107 **154** aes Ephyre: cf. Petron. 119, 9

13

(Germania ad Italiam)

Ut quid, Roma, tibi videor gens barbara? Feci,
  ne quae te possit laedere barbaries.
Nam quae nunc flores et caelum vertice pulsas
  et iactas Martem Cecropiumque sophos,
si mea restitues nobis inventa, iacebis 5
  barbaricumque iugum barbara facta feres.

14

(Bohuslaus de Hassenstein ad Ulricum Freumsperg)

Nunc ego crediderim Musas Heliconia Tempe
  atque caballinos deseruisse lacus
Phoebeumque Larem gelida posuisse sub Arcto,
  hic ubi frugifera Suevia gaudet humo.
Nam quis Pieridum posset sine numine Suevus, 5
  Udalrice, tuo more ciere fides,
quis glomerare sonos, quales vernantibus agris
  concinit extincto Daulias ales Ity,
quales Bistoniis fudit sub collibus Orpheus,
  dum traheret cantu flumina, saxa, feras. 10
Ergo alacer doctis adole pia tura puellis,
  laurea quae capiti serta dedere tuo,
et mihi caelestes Musarum pande latebras,
  si comitem studii poscis habere tui.

13. 6 barbara facta: cf. Ov. epist. 12, 105

14. 7 vernantibus **m** venerantibus **C** qualis **C** quoties **m** **8** Ity **m** ithi **C** **10** feras **m** feros **C** **11** tura **m** thura **C**

1 Heliconia tempe: cf. Ov. am. 1, 1, 15 **3** gelida...sub Arcto: cf. Lucan. 1, 252 **8** concinit...Ity: cf. 271, 8; 357, 1;Ov. epist. 15, 154 **10** dum...feras: cf. Ov. ars 3, 321

15

(De morte humana)

Nec spatium vitae, nec mortis noscimus horam,
nec scimus, caelum nos manet an Phlegethon.
Marmora, regna, aurum, gemmae Bacchusque Venusque
nos tamen et mundi gaudia vana iuvant.

16

(De eadem)

Mors venio tam grata piis quam dira superbis.
Me miserum, non sunt haec meditata mihi!
Quid palles? *Metuo.* Quare? *Quia falce minaris.*
Non poenam iustis affero, sed requiem.
Conscia mens sceleris tenebras formidat Averni:
non tibi nos, tua sed culpa timenda fuit.
Quid faciam? Lacrimis, dum fas est, dilue culpam.
Parebo. Propera: sum tibi pro foribus.

17

Vivo, licet nostrae forsan Rhamnusia vitae
invideat, sed diva parens, quae pandit Olympum,
non sinit hanc animam, donec commissa priora
elueret lacrimis, terrenum linquere corpus.
Non Lachesis, non Clotho mihi, non Atropos ulla,
sed genitrix aderit summi veneranda Tonantis,
cui mare, cui tellus, cui caeli sidera parent.
haec tulit auxilium misero Stygiaeque paludi
eripuit calidum prope iam Phlegethonta videntem.

15. 4 gaudia vana: cf. Hor. epist. 2, 1, 188

17. 7 cui...parent: cf. Verg. Aen. 10, 176

18

(Epitaphium Ioannis Colowratii)

Clauditur hac terra Colowratius ille Ioannes,
praepositus fani, Vite beate, tui.
Ecclesiam hic rexit Pragensem pluribus annis
praesulis et tenuit pontificisque vicem.
Composuit cleri mores examine recto, 5
Romanam coluit tempus in omne fidem.
Quicquid in hoc templo consumpsit longa vetustas,
restituit. Tumulo nunc date tura suo.

19

(Ad quattuordecim auxiliatores)

Angelicis veneranda cohors sociata catervis,
quae bis septeno nomine templa tenes,
accipe pauca, precor, iucundo carmina vultu,
quae tibi militiae pars dicat una tuae.
Confer opem misero, pelago quia iactor et undis 5
nostraque nescio quis carbasa ventus agit.
Tu potes et tumidi fluctus mulcere profundi,
frangere tu Boreae murmura rauca trucis.
Tu sanas claudos, tu caecis reddere lumen,
sermonem multis eloquiumque soles. 10
His quoque nunc laqueis et inanibus eripe curis
me, tua qui pura numina mente colo.
Excute corde meo terrenae pondera molis,
excute Tartarei semina cuncta gregis
nec falli inferni patiaris fraude tyranni 15

18. 7 consumpsit...vetustas: cf. Gell. 11, 13, 10

19. 7 fluctus mulcere: cf. Verg. Aen. 1, 66 **8** Boreae trucis: cf. Verg. georg. 1, 370 **11** inanibus curis: cf. Lucr. 5, 1431 **13** terrenae...molis: cf. Boeth. cons. 3, 9, 25

nec sine nos Stygii tangere regna lacus.
Non ego Iudaeae, non Turcae gentis alumnus,
non qui contemnam iussa verenda patrum,
sed fidei (scelerum plenus licet) eius amator,
quam pastor Latius Christicolaeque probant. 20
Da mihi sidereos animo lustrare recessus,
da menti geminos scandere posse polos.
Dirige, dum vivo, nostros super aethera gressus,
o portus vitae perfugiumque meae.
Spiritus at noster fessos ubi liquerit artus, 25
aeternos videat te tribuente Lares.
Vincula solve, quibus teneor, duramque catenam,
qua premor, atque iugum, quod mea colla gravat.
Quicquid habent culpae mea pectora, quicquid iniqui,
auxilio a nobis sit procul, oro, tuo. 30
Ambitio fugiat cedatque superbia melle
tincta, sed horrendum sub cute virus habens.
Ira procul Venerisque faces livorque facessat
et quaecumque animae perniciosa meae.
Fac, vigeant sensus nostri duretque pusillum 35
ingenium atque omnis corpore languor eat.
Adsint divitiae, non vani causa tumoris,
sed quae dent requiem maestitiaque levent.
Denique stelliferum quicquid deducit ad axem,
adsit, sed fugiat, quicquid ad ima trahit. 40
Tunc tibi grandiloquo nos grates carmine agemus
et dabimus templo tura Sabaea tuo.

18 iussa verenda: cf. Stat. Theb. 3, 702 **21** sidereos recessus: cf. Calud. carm. min. app. 2, 88 **24** portus vitae: cf. Sen. Herc. f. 1068 **35** vigeant sensus: cf. Iuv. 10, 240

20

(Epitaphium Iaroslai Boskovicaei)

Accipe, quisquis ades, si saltem noscere cura est
ulla tibi, quidnam contegat iste lapis.
Ossa Iaroslai recubant hic, gloria quondam
qui tua, progenies Boskovicaea, fuit.
Pannonio regi carus, dum fata sinebant, 5
carus erat ducibus militibusque suis.
Illius eloquium mores faciemque verendam
admirabatur plebs proceresque simul.
Invidit fortuna viro iam summa tenenti,
aspice, res hominum nubila quanta premunt. 10
Fidere, mortales, nimium nolite tyrannis
edocti fatis interituque suo.
Nam quamvis verae nimius virtutis amator
et scelerum vindex perniciesque foret,
non tamen evasit poenam dignumque nocente 15
supplicium. Cineri funde, precor, lacrimas.

21

(Iaroslai Boskovicaei)

Aspice, quisquis ades, serie quae clarus avorum
saxa Iaroslaus Boskovicaeus habet.
Floruit is lingua, bello praestabat eratque
et patriae et generis gloria magna sui.
Hunc gladio extinxit facientem recta tyrannus, 5
extinctum frater clausit at hoc tumulo.

20. 5 dum..sinebant: cf. Verg. Aen. 4, 651 **9** invidit fortuna: cf. Verg. Aen. 11, 43 **13** virtutis amator: cf. Lucan. 9, 562 **14** scelerum vindex: cf. Lucan. 9, 17

22

(Ad Ioannem Sselenbergium, regni Bohemiae cancellarium)

Maiorum effigies claraeque insignia gentis
et monumenta hominum, patriam qui saepe ruentem
sustinuere, tuum, proles Sselebergia, munus,
quisquis adest, spectare potest generosaque summi
stemmata nosse viri, notum populosque per omnes 5
a proavis numeransque genus. Cognoscitur arbor
scilicet e fructu, mores vitamque parentum
ostendit pronepos soboli patrumque suaeque
immortale decus quondam lumenque futurus.

23

(Ad Victorinum de Vssehrd)

Floruit eloquium quondam Demosthenis alti,
  gloria Cecropiae qui fuit una togae.
Hanc sibi praeripuit laudem titulosque Latinus
  Tullius et patrios detulit usque Lares.
Te duce in Arctoas venit facundia gentes, 5
  o decus, o nostri splendor honosque soli.
Scilicet Aonides Heliconis fonte relicto
  Albim Pieriis praeposuere iugis
bacchantesque viros Bacchus populumque comatum
  auratis adiit pulcher Apollo comis. 10
Nec minus Andini quam vatis carmina Graios,
  Victorine, tuo vincimus ingenio.

22. 1 maiorum effigies: cf. Iuv. 8, 227 insignia gentis: cf. Stat. Theb. 5, 447 **9** immortale decus: cf. Sil. 14, 341

23. 1 eloquium Demosthenis: cf. Iuv. 10, 114

24

(Ad sanctum Venceslaum satira, in qua mores procerum, nobilium et popularium patriae suae reprehendit)

Dive pater, quondam patriae qui sceptra tenebas,
aspice nos, si te caelesti sede morantem
ullus amor tangit populi, quem foedere certo
frenabas olim, nec enim praesentius ullum
numen adest miseris, quam tu, fortissima nostri 5
ancora navigii. Non nos crudelia bella
sanguineique enses agitant aut Martius horror
insignesve comis galeae, non oppida lucent
ignibus ut quondam, securae in montibus errant
herbiferis pecudes, securi frugibus agros 10
ruricolae spoliant, nullo latrone tenentur
abdita silvarum, non nos penuria rerum
torquet, habent Cererem campi, vineta Lyaeum,
tondent arva boves, habitantur piscibus undae,
omne nemus cantu volucrum sonat, omne ferarum 15
mugitu, non dira lues, non tabidus aer
corpora nostra rapit letali infecta veneno,
omnia vicinae procul hinc contagia pestis.
Sunt validae vires nobis, sunt pectora cunctis
suffectura malis; mens, mens animique laborant 20
infando scelerum sub pondere; quippe ruentis
nullus amor patriae, nullus qui publica curet
ex numero procerum. Satis est intexere vestem

24. *in tit.* Clarissimi Viri Domini Bohuslai de Lobkowicz satira incipit feliciter **Y** Satyra **i** **1** dive **iY** divae **D** **2** morantem **iY** manentem **D** **4** frenabas **D** frenebas **iY** praesentius **D** presencius **Y** praesentibus **i** **6** ancora **i** anchora **DY** **10** agros **iY** agnos **D** **15** omne **iY** te **D** **17** rapit letali **Y** capit letali **D** rapit lethali **i** **18** vicinae **iD** vicinis **Y** **20** mens **iD** ment *cum corr.* **Y**

2 amor tangit: cf. Ov. ars 3, 541 **7** Martius horror: cf. Claud. rapt. Pros. 2, 146-7 **14** habitantur...undae: cf. Ov. met. 1, 74 **18** contagia pestis: cf. Lucan. 6, 89 **21 – 22** ruentis...patriae: cf. Lucan. 9, 385

auro Sidoniam, satis est gestare lacernam,
alite Phasiaca stomachum satiare calentem, 25
Cretaeo fervere mero, comitante vagari
agmine servorum, iucundum ostendere vultum
omnibus et Stygium portare in pectore virus.
Luxus et ambitio tenet omnia, limine cessit
et pudor et probitas: caelos Astraea petivit 30
iuncta pudicitiae; quocumque libidinis aestus
impellit, ruimus, colimus quaecumque colenda
vana superstitio legisque ignara supernae
suadet (ut Eoi mirari barbara sacra
desierim Nili), convivia lauta paramus, 35
qualibus Alcinous facundum excepit Ulyssem,
qualia Dardanio Aeneae pulcherrima Dido
exhibuit, tacitique sumus, praecordia donec
incaluere deo, tunc tunc sermone redundant
ora, nec expectes, ut de virtute loquantur, 40
quomodo lascivae motum compescere plebis
et frenare queant patriamque extollere rursus
ad decus et veteres titulos, quas condere leges
conveniat populo. Narrant periuria, fraudes
et quae femineam potuerunt flectere mentem 45
blanditiae, quae dicta dedit, quo tempore primum
venit in amplexus, quoties patraverit una
nocte, quibus vitiis cari teneantur amici,
seclusa quantus numerus servetur in arca
aeris. Olorino, miseri, requiescite lecto 50
et date purpureis (dum fas est) oscula labris,
exercete iocos laeti Venerisque ciete

27 iucundum **iD** hiucundum **Y** vultum **iD** vltum **Y** **28** pectore **iD** **35** desierim **iY** desinerem **D** **37** pulcherrima **iD** pulcherima **Y** **41** compescere **D** composcere **iY** **44** narrant **iD** narant **Y** **47** quoties **i** quocies **D** quociens **Y** **49** seclusa **DY** reclusa **i** **52** ciete **iD** crete **Y**

33 vana...ignara: cf. Verg. Aen. 8, 187 **34** barbara sacra: cf. Lucan. 8, 338 **35** convivia lauta: cf. Catul. 47, 5 **37** pulcherrima Dido: cf. Verg. Aen. 1, 496; 4, 60 **45** flectere mentem: cf. Ov. met. 9, 609 **51** oscula labris: cf. Lucr. 4, 1194

bella, puellares cupide pressate papillas,
molle femur femori coniungite, terra palato
serviat et quicquid producit lucidus aer, 55
opprimite insontes, proavos memorate parentum
vestrorum. En veniet tempus, quo gaudia tanta
in fletum et lacrimas nigri mutabit Averni
arbiter. An credam tali censente senatu
Ottogarum imperium gemino finisse profundo, 60
transcendisse Alpes, leges et iura dedisse
urbibus Italiae? Digito sed forte labellum
claudendum est, quoniam, si peccat garrula lingua,
occipite eruitur. Sic nomen ab alite ducens
Oebalia censet, Graii qui nuper Orestis 65
vexatus furiis tetricarum fila sororum
explevit. Mores procerum plebs tota secuta
currit in omne nefas, falsis periuria verbis
addere iam ludus, nardo mulcere capillos
deliciae, longas talis consumere noctes, 70
nobilitatis opus. Periere vocabula certe
iampridem rerum. Fallax sapientis, avarus
nomen habet parci, magnae contemnere Romae
sacra facit doctum, reprobos vitare superbum.
Quisquis adulatur, famam laudemque benigni 75
obtinet. En etiam sceleri ne exempla deesse
ulla putes nostro, pretium pro coniuge cepit
quingentos auri nummos, quem tempore longo
curia nutrivit regis, neque defuit emptor

55 producit **iD** prodicit **Y** **58** lacrimas: lachrymas **iD** lachrimas corpore **Y** **59** censente **i D** censete **Y** **60** Ottogarum **i D** Ottocarum **Y** **61** transcedisse **iD** transcendisse **Y** **63** claudendum est **D** claudendum **iY** lingua **iD** ligua **Y** **64** *in marg.* Ssvamberg **Y** **65** Oebalia **iD** Aebalia **Y** Orestis **i** horestis **Y** Horestis **D** **67** secuta **iY** sequuta **D** **68** nefas **iD** nephas **Y** **76** obtinet **iD** optinet **Y** ne exempla deesse **iY** ne deesse exempla **D** **77** coniuge **iD** coniunge **Y** *in marg.* Mitteplas **Y** **79** neque **iD** nec **Y**

55 lucidus aer: cf. Lucr. 4, 315 **58** nigri Averni: cf. Stat. Theb. 3, 146 **70** consumere noctes: cf. Sil. 11, 404

infandae merci. Facti, si forte requiris, 80
poeniteatne hominem? Gaudet titulosque parentum
commemorat quassatque caput, velut omnia iuri
sint subiecta suo, quicquid complectitur ingens
ambitus Oceani. Caelo regnare Tonantem
sacrilegaeque malos laturos praemia vitae 85
inde profecto patet, moderator nempe Quiritum
nostrorum et cuius quondam vox una sonabat
maiestate tibi, quo nunc dominante quiescit
patria, paene pari summo de culmine lapsus
spernitur. Infelix populus patresque vagantem 90
despiciunt, siquidem comitari sueta iuventus
est procul et loculos alieni iniuria lecti
exhausit totiesque auro patefacta pudoris
ianua virginei noctesque ingentibus emptae
muneribus. Quis enim vidit muliebre foramen 95
contentum exiguo iustoque? Superbia maior
innumerique greges comitum redimitaque gemmis
vestis Erythraeis et dignae Sardanapalo
deliciae, certe Pactolum tanta vorago
quicquid et in pelagus flavus devolvit Hydaspes, 100
divitias Tagi consumeret. Hiccine pacis
auctor erit nobis an te, Catilina, sequetur?
Dicite, quos laeva saliens in parte mamillae
sanguis et ingenium, longo quod calluit usu,
saepe futura sinit praenoscere. Quippe paranti 105
proelia non deerunt comites, quos fenore multo

85 laturos **iY** luituros **D** **88** maiestate **iD** magestate **Y** **89** patria **iY** prima **D** **93** toties: tocies **i** totiensque **DY** **98** deliciae **iD** dilicie **Y** tanta **iD** tenta **Y** **101** Tagi **i** Thagi **DY** **102** Catilina **iD** Chatilina **Y** **103** saliens **iY** saltem **D** **104** longo quod **iY** quod longo **D** **105** sinit **iD** facit **Y** paranti **iD** parenti **Y** **106** deerunt **iY** dederunt **D**

83 – 84 ingens ambitus: cf. Auson. ordo 99 **89** summo...lapsus: Lucan. 8, 8 **97 – 98** gemmis Erythraeis: cf. Claud. 8, 606 **103** laeva saliens parte mamillae: cf. Iuv. 7,159 **106** fenore multo: cf. Ov. rem. 174

creditor exhausit; qualis notissimus ecce est
moechorum et dignus quem pridem mugilis intret.
Contigit huic Ithacae coniunx aequanda puellae
aut, quae Tarquinios solio deiecit avito. 110
Ille Cupidineae permittit frena pharetrae,
sed tamen et praeceps fertur nullumque lupanar
praeterit. Omnis ei vinclo sociata iugali
femina, quaecumque est, Nabataeos spirat odores.
„Cornipedem", clamat, „comites adducite! Thais 115
nempe iubet. Veniam tandem potiarque cupito
amplexu. Procul esse hominem, qui nostra moratur
gaudia!", ut hunc Crassus merito ridere furorem
possit et insueto nares crispare cachinno.
Iudice me venia donabitur illius uxor, 120
exemplo infidi si quando mota mariti,
externae audebit Veneris gustare voluptas
quanta sit atque virum simili punire dolore.
Hic tamen in levibus peccat, sed coniugis ille
mercator Scythica longe truculentior ursa 125
in genus humanum saevit gladioque ferire
cervicem putat esse nihil, fornacula tantum
si caluit; quod, ne forsan finxisse putemur,
fecerat et nuper. Sed caute, Musa, necesse est
ire per hoc pelagus, quoniam revocabile non est, 130
quod semel effluxit. Diomedem docta vetustas
et Pelusiaci narrare piacula regis

110 quae **iD** qui **Y** Tarquinios **iY** Tarquinos **D** **111** pharetrae **iD** faretre **Y** **114** Nabataeos: Nabathaeos **i** Nabatheos **DY** **116** iubet **iD** iubent **Y** **118** ridere furorem **iY** irridere furor est **D** **119** possit **i** posset **DY** cachinno **iD** cachino **Y** **120** venia donabitur **iY** veniam donabit **D** **121** mota **iY** rota **D** **125** Scythica **i** Scithica **Y** Schytica **D** **129** fecerat **i** fecit id **DY** **131** effluxit **D** effluit **Y** effinxit **i**

107 – 108 notissimus moechorum: cf. Iuv. 6, 42 **108** mugilis intret: cf. Iuv. 10, 317 **113** vinclo...iugali: cf. Verg. Aen. 4, 16 **114** spirat odores: cf. Nemes. ecl. 2, 46 **122** externae veneris: cf. Lucan. 9, 900 **125** truculentior ursa: cf. Ov. met. 13, 803 **126** in genus saevit: cf. Ov. met. 13, 504 **132** piacula regis: cf. Tac. ann. 12, 8, 1 (239, 21)

desinat; en etiam tragico dicenda cothurno
nos facimus. Recte quod non fortuna Neronis
huic dedit imperium, nam vix Romana tyranni 135
colla huius rabiem satiassent. Vertere cantum
nunc libet atque alios homines aliudque referre
dedecus, ut patriae pudeat iam. Vadit ad omnes
nescio quis lectus numero procerumque ducumque
legatus populos, Caesarve paterve petendus, 140
Wladislae, tuus, seu mens flectenda domantis
Pannoniam tantique viro tribuuntur honores,
ad nos qui solum pedibus non venerat albis,
quantos a superis optaret nemo modestus.
Tunc miser ingentes animos et cornua sumit 145
irridetque humiles ipsumque Promethea ponit
inter maiores. Niobe Sipyleia talis
vix erat (antiquis si quicquam credere dignum
vatibus et Musis). Verum delubra frequentat
ille tamen funditque preces caelumque fatigat 150
supplicibus votis. Omnes te sternere ad aras
quid iuvat, infelix, quid palmis tundere pectus,
si spoliare inopes victu nimiisque gravare
censibus aut operis fas est vultuque superbo
inspectare polos proprias nec noscere sordes? 155
Praetereo, gemina quod quidam coniuge nuper
polluit humanas leges avidusque recentis
connubii veteris violavit foedera taedae
et, cuius vetuisse foret, laudatque probatque

133 cothurno: coturno **iDY** **136** vertere **iY** convertere **D** cantum **iD** catrum **Y** **141** Wladislae **DY** Vuladislae **i** seu **iY** secum **D** **146** Promethea **iD** promothea **Y** **147** Niobe **iD** niebe **Y** Sipyleia **i** sipileia **Y** si pileia **D** **154** fas **iD** phas **Y** **156** *in marg.* Joannes Mutrplos **Y** **158** tedae **iD** cede **Y**

133 tragico cothurno: cf. 5, 21 **143** pedibus...albis: cf. Iuv. 1, 111 **145** cornua sumit: cf. Ov. ars 1, 239 **150** funditque preces: cf. Verg. Aen. 6, 55 **150 – 151** caelum...votis: cf. Verg. Aen. 8, 61 **152** palmis tundere pectus: cf. Apul. met. 4, 25 (93, 22) **154** vultuque superbo: cf. Lucan. 4, 568 **157** polluit leges: cf. Lucan. 8, 399

nescio quis facinus. Quid quod quaecumque Tonanti 160
sacravere senes prisci, dum vita manebat,
sacrilegi rapiunt? Nec enim regnare putatur
in caelo vindex, cum sontes fulmine nullo
transadigat. Finxere Orcum, finxere barathrum
nempe sacerdotes, quos lucri caeca cupido 165
ducit in has fraudes. Epicuri dogma profecto
mortales animas pariter cum corpore solvi
tradidit. Haec solum quoniam solatia restant
flagitioso homini, qui vitae cuncta futurae
gaudia desperat, scelerati nulla vereri 170
supplicia admissi, nullum caeleste putare
numen et incertis agitari casibus orbem,
quandoquidem nobis sunt omnia libera. Rerum
exquirunt causas, magni primordia mundi,
et chaos antiquum, quo nexu candidus aether 175
haereat, unde animae gignuntur quove recedunt,
qualis erit facies venturi Iudicis aut quo
tempore marmoreis consurgent corpora tumbis.
Puniat ut Dominus sontes et digna rependat
praemia virtuti. Romano quanta potestas 180
pastori, fidei quae sint mysteria nostrae,
in triviis passim pueri trepidaeque puellae
delirique senes mulierque edentula narrat.
Inde fit, ut non tot gignat Methymna racemos,
quot species (nec enim dormit saevissimus hostis) 185

163 cum **iY** quum **D** **164** Orcum **iD** orchum **Y** barathrum: Baratrum **D i** baratrum **Y** **165** caeca **iD** dira **Y** **166** dogma **iY** secta **D** **169** flagitioso **iD** fligitioso **Y** futurae **iD** futero **Y** **172** numen **iD** nomen **Y** **173** nobis sunt **iY** sunt nobis **D** **176** recedunt **i** revertunt **DY** **179** ut **iY** et **D** **183** narrat **iY** narrant **D** **184** Methymna **i** Medimna **Y** Mentyna **D** **185** quot **iD** quod **Y**

161 sacravere...prisci: cf. Ov. met. 10, 646 dum vita manebat: cf. 38, 1; 246, 5; Verg. Aen. 5, 724 sqq. **165** caeca cupido: cf. Lucr. 3, 59 **172** incertis casibus: cf. Lucan. 5, 66 **173 – 174** rerum...mundi: cf. Ov. met. 15, 68–9 **175** chaos antiquum: cf. Ov. met. 2, 299 **182** trepidaeque puellae: cf. Ov. epist. 1, 29 **183** Methymna racemos: cf. Ov. ars 1, 57

religionis habet provincia. Quippe magistro
orba velut puppis iactatur gurgite vasto,
praecipites venti valido in contraria flatu
quam rapiunt, sic nos, quoniam prudentia nulla est,
volvimur ignari, cur vivimus, unde petenda 190
summi forma boni, quae sit virtutis honestas,
quis finis rerum. Confer, pater optime, tandem
auxilium, gens ecce tuae peritura laborat
credita tutelae multo discrimine, ni tu
e superi regione poli miseratus hiantem 195
Tartaron et nostras nimium nimiumque volentem
absorbere animas nota tibi clauseris arce.

25

(Marci Academici)

Marcus Academiacus, Romanae stirpis alumnus,
hic recubat cineres propter, Homere, tuos,
quem nisi vis primae rapuisset iniqua iuventae,
fulsisset fama proximus, ut tumulo.

26

(Ad Pisonem poetam)

Pisa iuvant guttur, Pisonis carmina mentem,
horum quid praestet, quaerere, desipere est.

187 iactatur **iY** iactantur **D** **187** velut **iY** venit **D** iactatur **iY** iactantur **D** **188** flatu **iD** flactu **Y** **189** nulla est **D** nulla **iY** **190** cur **iY** quur **D** **196** Tartaron **i** Tartharon **D** Thartaron **Y** nostras **Di** nostros **Y** clauseris **iY** clauserit **D**

186 – 187 magistro orba: cf. Claud. 20, 423 **191** summi...boni: cf. Boeth. cons. 3, 9, 37-8 **192** quis...rerum: cf. Boeth. cons. 3, 11, 41

27

(Ad eundem)

Pisa Boemorum delectant viscera, docti
Pisonis nobis carmina docta placent.

28

(Stephani Pisonis, familiaris sui)

Si pietas, si sacra fides penetralia pandunt
regis Olympiaci, Stephanus caelestia certe
atria nunc habitat Piso, licet ossa sepulcrum
hoc tegat exiguum, specimen virtutis et aequi
nempe fuit nulloque unquam violabilis auro, 5
nullis flexibilis donis; certare videres
iustitiae pietatem hominis mercede perenni.
Quae si digna negat quisquam, Titana videbit
flammiferis volitare rotis, mortalibus error
si tamen obrepsit membris, per lubrica mundi 10
si passu titubante ivit iuvenilibus annis,
denique, si recto abcessit, date tura Tonanti
et castas offerte preces, ignoscat ut actis
illius et nitidis extinctum collocet astris.

29

(In tumulum Stephani Pisonis)

Hoc quisquis peregrinus et viator
circumfers oculos pedesque templo,
parvum respice lacrimante vultu
Pisonis Stephani, precor, sepulcrum.
Hic hic nam probitas fidesque prisca 5

28. 9 volitare rotis: cf. Sen. Phoen. 546 - 7

et mens integra, pectus aequitatis
plenum cum Stephano simul recumbunt.
Quod si fletibus eximi tenebris
fas quemquam foret, ipse reddidisset
hunc terris herus; ut tamen piorum 10
sedes incolat et Tonantis arcem
eius spiritus aureumque caelum,
offer caelitibus preces valeque.

30

(Ad XIIII divos tutelares de sua peregrinatione)

Bis septem o animae, rursus nova carmina, rursus
in numerosque suos verba redacta fero.
Carmina pauca fero, nam quo, nisi carmine, grates
mortalis superis lingua referre potest?
Lustravi ducibus vobis Istrumque Padumque 5
et vitreas Trebiae lene fluentis aquas,
lustravi Alpinis manantem collibus Oenum,
Insubrium, Ligurum Romulidumque domos.
Inde per ancipites, quas spectat Narnia, valles,
valles, quas oleae fertilis Umber habet 10
Alpheamque domat qua dia Florentia Pisam
lambit et Etruscos turbidus Arnus agros,
Appenninigenas arces et flumina vidi,
Lydia quae variis fontibus arva rigant.
Vidimus et parvo qua docta Bononia Rheno 15
cingitur et trifidi moenia picta Padi.
Et iam magnum Athesim Phrygiique Antenoris urbem

29. 6 – 7 aequitatis plenum: cf. Cic. phil. 1, 8 (3, 24)

30. 2 in numeros **ip** innumeros **U** 5 Istrumque **i** histrumque **U** Histrumque **p** 6 et **iU** non **p** 11 Florentia **sel** Fluentia **i** fluentia **p** advencia **U** 12 Hetruscos **ip** ethruscos **U** 13 Appenninigenas **ip** Appenninicenas **U** 17 Antenoris **ip** Anthenoris **U**

et quae de Venetum nomine nomen habet
Illyricosque sinus legi raucumque Timavum
et qua Dalmaticam verberat aequor humum 20
et Pelopis populos et te, Phaeacia tellus,
et te, Dulichii regia parva viri.
Lustravi et pelagus, quod Cretam cingit et Iden,
et cum ventosa Cypria regna Rhodo
et latos Syriae tractus Nilumque tepentem, 25
qui septemgeminis aequora pulsat aquis
palmiferosque Arabas et Memphis rura superbae
et Macedum quondam moenia iacta duci,
hinc post Carpathias hiemes Patmonque Samonque,
vitiferam Lesbon vitiferamque Chion, 30
post Smyrnam curvis et qua Maeander in arvis
ludit, Amazoniae nobile gentis opus.
Vidimus Aegaeis dispersas Cycladas undis,
Icaron et Naxon marmoreamque Paron,
saxosam Myconen et te, Phoebeia Delos, 35
et Gyaram et scopulos, parva Cythera, tuos
Trinacriumque Erycem flammantemque ignibus Aetnam
et loca, quae Danaae nomina falcis habent.
Cinyphias etiam Syrtes Aframque Tuneta
accessi et Tyriae tecta verenda nurus 40
extremosque Italum Calabros et molle Tarentum
et quae Dictaeus rura colonus arat.

20 humum **p** humus **i** humor **U** **24** ventosa **ip** ventos a **U** **28** moenia **i** menia **p** ingenia **U** **29** Patmonque **sel** Pathmonque **iUp** **31** arvis **i** agris **Up** **32** Amazoniae **i** Amazonie **p** Amasonie **U** **33** dispersas **iU** disparsas **p** Cycladas **ip** ciclados **U** **35** Phoebeia: Phaebaeia **i** Phebeia **p** phebeya **U** **36** Gyaram **i** gyaram **U** Siaram **p** Cythera **ip** cytherea **U** **37** Trinacriumque **ip** Trinacrumque **U** Aetnam **i** Ethnam **p** ethnam **U** **38** nomina **ip** nomine **U**

19 Illyricosque sinus: cf. Verg. Aen. 1, 243 **21** Phaeacia tellus: cf. Ov. am. 3, 9, 47 **27** palmiferos Arabas: cf. Ov. met. 10, 478 **28** moenia iacta: cf. Prop. 2, 34, 64 **31- 32** Maeander ludit: cf. Sen. Herc. f. 684 **32** nobile gentis opus: cf. Ov. trist. 1, 10, 30; Mart. 9, 93, 6 **34** marmoreamque Paron: cf. Ov. met. 7, 465 **41** molle Tarentum: cf. Hor. sat. 2, 4, 34

Vivimus ecce tamen post tot discrimina rerum
et post velivoli tanta pericla maris.
Vivimus et priscae durant in pectore vires 45
et video patriae dulcia prata meae,
optatos colles, optatos cerno sodales
optatamque premo (sic voluistis) humum.
Nec mihi terrificis puppis iactata procellis
nec nocuit rapidi murmur et ira noti. 50
Piratas fugi pelago terraque latrones
ceteraque exitio retia tensa meo.
Nam quid piratae, nam quid mortalia cuncta
invitis vobis, numina magna, queunt?
Saepe quidem Boreas Borea nec mitior eurus 55
turbabant nostrae candida vela ratis
et iam visa mihi summi fastigia caeli est
tangere, iam Stygios panda carina lacus.
Pallebant nautae trepidantes morte futura
nec memores artis nec memoresque viae. 60
At vos, ut primum "Superi, succurrite", dixi,
pacastis Boream navifragumque fretum.
Vos Arabum manibus, qui me spoliare parabant,
in Pelusiacis eripuistis aquis
vosque profecturum cymba, quae gurgite mergi 65
debuit, assueta detinuistis ope.
Praetereo saxum, quod iam prope colla premebat,
Gnosia Minoum qua vada litus habet.
Insolitos quoties sumpsi, dum cetera desunt,
interdum stomacho vix patiente cibos. 70
Nonnunquam et Baccho carui Siculaque parente
ille ego maternis raptus ab uberibus.
Nec tamen aut febres aut sensimus hemitritaeum

50 noti: Noti **ip** nothi **U** **66** detinuistis **ip** detenuistis **U** **68** Gnosia **ip** Cinosia **U** habent **Up** habet **i sel** **71** Baccho **ip** bacho **U**

43 tot...rerum: cf. Verg. Aen. 1, 204 **44** velivoli maris: cf. Ov. Pont. 4, 16, 21 **57** summi...caeli: cf. Manil. 3, 506 **58** Stygios lacus: cf. 2, 14 panda carina: cf. Ov. am. 2, 11, 24 **62** navifragumque fretum: cf. Ov. met. 14, 6

aut fluxere atra viscera nostra lue.
Quid nunc ardentes Libyae sitientis arenas 75
arvaque vicino sole perusta loquar?
Cuncta tamen tulimus, sic vos, sic ille volebat,
arbitrio cuius sidera clara micant.
Laus tibi, sancta cohors, tibi gloria, nempe quid ultra
haec genus humanum persoluisse potest? 80
Non opis est aliud nostrae nec quicquid ubique
mortalis turbae frugifer orbis habet.
Lingua quidem titubat, dum conor talia, vena et
deficit ingenii pondere pressa mei.
Sed tamen ante feris Hyrcania, ture Sabaei, 85
graminibus Tempe, fronde carebit Athos,
Sauromatae palmas gignent, mirabitur Arctos
frigora, Danubium Persa Syrusque bibet,
mens mea quam vobis cessabit dicere grates
aut vestri officii desinet esse memor. 90
Vos mihi perfugium, lassae vos ancora prorae,
vos eritis numen tempus in omne meum.
Vos solum, divi, si fas id poscere, vitae
incertum hoc certo sistite, quaeso, Lare.
Iam satis annorum transegi multaque terra, 95
multa procelloso sunt mihi visa mari.
Nec pelago toties, animi iactatus ut aestu
transcendi aetatis bis tria lustra meae.
Vos stabilem conferte domum, conferte quietem,
conferte et studiis otia grata meis. 100
Non ego divitias, non auri quaero talenta,
non virides gemmas chrysolithosque peto
nec nostrum votum est moderari Bactra Getasque

76 et loca **p** arvaque **iU** **78** clara **ip** cuncta **U** **85** ture: thure **iUp sel** **91** perfugium **sel** profugium **ipU** **93** fas **i** phas **Up** **97** toties **i** tocies **p** tociens **U** **102** chrysolithosque **i** chrisolitosque **Up** **103** moderari **ip** *om.* **U**

75 Libyae...arenas: cf. Lucan. 1, 368 **81** non...ubique: cf. Verg. Aen. 1, 601 **83** lingua titubat: cf. Sen. epist. 11, 2, 28 **84** pondere pressa: cf. 189, 6; 224, 4; Ov. fast. 3, 330 **89** dicere grates: cf. Verg. Aen. 11, 508

et frenare Indos Aethiopasque truces.
Ista optent alii, quos gloria vexat inanis 105
et qui perpetuae laudis amore tument,
dummodo sit nobis mens recta et nescia fraudis
nulliusque sibi conscia flagitii,
dummodo Socraticos proceres magnumque Platona
sit fas et Phoebum Pieridasque sequi. 110
Traducam merito securum inglorius aevum,
ignotus patribus ruricolisque simul.

31

(D. Venceslai Planensis)

Venceslae, decus Planae, cui maxima virtus
innumeros titulos et monumenta dedit,
qui simul et leges et pontificalia iura
callebas, tumulo clauderis ecce brevi.
Excipiat superis animam Deus ilicet oris, 5
pallida mole tegat hac tua membra solum.

32

(Regis Cazymiri)

Rex et regis satus regis fraterque parensque
hoc Cazymirus conditur in tumulo.

33

(Friderici, sodalis sui)

Qui mecum Syriam Libyaeque calentis arenas

110 fas i phas **Up**

106 laudis...tument: cf. Hor. epod. 1, 1, 36 **111** inglorius aevum: cf. Sil. 3, 579

vidisti et Nilum palmiferosque Arabas,
hic te, care comes, miserando funere raptum,
hic, Friderice, brevi condidimus tumulo.

34

(Ad Victorinum de Vssehrd elegia)

Quae mihi misisti, patriae splendorque decusque,
legimus Aonio carmina digna choro,
qualia non Arctos gignit pigrique Bootae
frigora, sed tripodes, pulcher Apollo, tui,
qualia vel silices possent vel flectere quercus 5
Hyrcanasque simul Caucaseasque feras,
qualia Bistonii dum manant ore poetae,
constitit attonitis Thracius Hebrus aquis.
Bellerophonteos sapiebant nempe liquores
et iuga Pegaseis nobilitata modis. 10
Materia ingenio non quadrat; nempe pusilli
Ascraea canimur Maeoniaque tuba.
Ut quid arenosum proscindis vomere litus,
fluctibus e mediis dulcia mella petis?
Non his Thersites fidibus, sed divus Ulixes, 15
sed pius Aeneas concelebrandus erat.
Scilicet ut terrae sterili committit arator
semina neglecto fertiliore solo,
sic tua, quae vasti tolerare volumina ponti

2 palmiferos Arabas: cf. Ov. met. 10, 478 **3** funere raptum: cf. Homer 1003

34. 1 Quae **d** ve (prima littera relicta est pictori ornate scribenda, ut notat **z**) **3** Bootae **z** Boete **Y** Bootis **d** **Y** 7 *marg.* Orpheus **d** **9** Bellerophonteos: Bellorophonteos **Y** Bellerophontaeos **d** nempe **d** nemepe **Y** **10** Pegaseis **d** pagaseis **Y** **12** Maeoniaque: meonia que **Y** Moeoniaque **d** **14** ex modiis dulcia mella **Y** e mediis dulcia vina **d** **15** diuus Ulixes **Y** dius Ulysses **d**

3 pigrique Bootae: cf. Iuv. 5, 23 **13** proscindis vomere: cf. Claud. carm. min. 28, 1 **14** fluctibus e mediis: cf. Sil. 7, 363

sufficit, exiguo flumine cymba natat. 20
Haud tamen indignor; nec enim mihi cornea fibra est
nec meliore haerent pectora nostra luto,
sed pudet Atlantis nanum capreamque leonis,
Aethiopem Oebalii nomen habere Iovis.
Ah, quanto satius torrentes sanguine campos 25
dicere et heroum fortia facta foret
Iliacosque ignes geminoque cacumine flammam
surgentem et primae vellera fulva ratis!
Quod si prisca fugis, proavorum gesta profecto
argumenta tui digna laboris erunt. 30
Hae gentes etiam (ne te, Serrane, vetustas
praedicet) accitum rure tulere ducem.
Hic quoque multa virum (quoniam sic fata volebant)
milia feminea succubuere manu.
Insuber a nobis armis belloque subactus 35
Caesaris intonsi iura verenda tulit.
Ense Rudolpheo Scythicos qui fregerat arcus,
hostilem moriens corpore pressit humum
et tua, quam nuper flagrantem vidimus igne,
Venceslaea moenia caede madent. 40
Nec te praetereo, cuius pater, horror Etrusci
nominis, Etrusca fraude doloque iacet.
Hic potuit Latium, potuit lustrare tropaeis
Danubium et ripas, frigide Rhene, tuas,
sed cum Gallorum fines et amica tuetur 45

25 habere **d** hebere **Y** **28** velleris **Y** vellera **d** **31** Serrane **Y** Seiane **d** **32** *marg.* Primislaus **d** **34** *marg.* Wlasta **d** **35** *marg.* Imperator Henricus **d** (recte Fridericus) **39** *marg.* Olomucium, in quo Venceslaus III. interfectus dolose a cubiculario **d** **40** madent **Y** rubent **d** **41** honor **Y** horror **d** **43** lustrare **Y** lustrasse **d** *marg.* Ioan. Rex, Henrici VII. Caesaris filius **d**

20 exiguo flumine: cf. Prop. 3, 9, 36 **21** nec...est: Pers. 1, 47 **22** meliore luto: cf. Iuv. 14, 35 **23** Atlantis nanum: cf. Iuv. 8, 32 **25** torrentes...campos: cf. Stat. silv. 1, 2, 97 **27 – 28** gemino cacumine surgentem: cf. Lucan. 1, 551 **28** vellera fulva: cf. Ov. epist. 6, 14 **36** iura verenda: cf. Stat. Achil. 2, 164 **38** corpore...humum: cf. Ov. Ib. 222; fast. 3, 598

arva, Caledonia cuspide fossus obit.
Carolus hinc sceptrum sumpsit, qui saecula nobis,
qualia Saturno rege fuere, dedit.
Huic certe, quantum Iunonis Creta marito,
arbitrio debet patria tota meo. 50
Filius hunc sequitur solio non dignus avito
et pudor et generis dedecus omne sui,
in Venerem praeceps siquidem Bacchumque ruebat
contemptor Martis Cecropiaeque deae,
atque ita transegit tacitos inglorius annos 55
despectus populis principibusque simul.
Tunc vero quicquid Furiarum gignit Avernus,
in nostros omnes prosiluere Lares,
tunc etiam Erigone fugit probitasque fidesque
et ferro aurati cessit arena Tagi. 60
Oppida lucebant flammis Albimque rubentem
Oceanae stupuit Saxo propinquus aquae.
Tela vagabantur passim gladiique minaces
terribilesque dabant cornua rauca sonos.
Squalebant late campi pulsoque colono 65
spinas et tribulos alma ferebat humus.
Vinea luxurians diffuso palmite falcem
et solitam frustra saepe petebat opem.
Non alicui laqueo cervos captare fugaces,
non volucres visco fallere cura fuit. 70
Vidisses atris disiecta cadavera silvis,
vidisses segetem, qua locus urbis erat,
vidisses abigi pecudes taurosque caprasque

46 Caledonia: calidonia **Y** Calydonia **d** **47** sumpsit **d** sumsit **Y** *marg.* Carolus IIII. P.P. **d** **50** patrio **Y** patria **d** **51** *marg.* Venceslaus IIII. **63** vagabantur **d** vagebantur **Y** **64** suos **Y** sonos **d** **72** era **Y** erat **d**

53 in Venerem praeceps: cf. Liv. 30, 12, 18 (111, 30) **55** inglorius annos: cf. Manil. 4, 542-3 **64** cornua rauca: cf. 237, 12; 269, 8; Claud. 2, 57-8 **69 – 70** laqueo...fallere: cf. Verg. georg. 1, 139 visco volucres: cf. 157, 17; 287, 3; 331, 3 **72** locus...erat: cf. Ov. fast. 2, 280

et furem Herculei cuncta tenere bovis,
vidisses matres, pueros trepidasque puellas 75
et flere annosos impia facta senes.
Non ego Pannonium vibrantem spicula dextra
ductorem et patriae mutua bella loquor,
non subversa tibi refero delubra domosque,
quas coluit summo turba dicata Deo. 80
Sin bella et lituos formidas, multa boatu
digna Sophocleo tempora nostra dabunt.
Hic caput insonti praecidit poenaque finem
vix latrocinio debita iure capit.
Prodidit hic dominum, sed tanquam criminis expers, 85
rupit Arachneo retia tensa pede.
Iudiciis praesunt locupletes, fenora iustum
efficiunt, atavi divitiaeque Numam.
Ille putat nulli superum mortalia curae
improbus et fatis omnia nostra regi. 90
Innumeris Orcus caelumque videtur anilis
fabula et extincto corpore cuncta mori.
Et quodcumque animo somnus vinumque furenti
suggerit, hoc nomen religionis habet.
Frena libidinibus laxant iuvenesque senesque 95
et scelere exultant nequitiaque sua.
Femina, quae cupidum satiare solebat amantem,
tecum, Penelope, gaudet honore pari.
Hunc nummi versant, hunc alea decoquit, illi
in voto est multo pervigilare mero. 100
Hic furit in plebem Sicula crudelius aula,

74 *marg.* Cacus **d** **76** facta **Y** fata **d** **77** *marg.* Mathias et Georgius RR **d** **78** mutua **d** nultua **Y** **79** tibi **d** soli **Y** **83** praecidit **d** praecidat **Y** *marg.* H.dux **d** **85** *marg.* Regni incolarum vitia **d** **87** fenora **z** foenora **d** fenore **Y** **90** fatis **d** satis **Y** **91** orcus **d** orchus **Y** **101** furit **d** fuerit **Y**

78 mutua bella: cf. Manil. 2, 571 **81** bella et lituos: cf. Sil. 2, 351 **82** caput praecidit: cf. Gell. 9, 13, 18 (330, 17) **99** hunc...decoquit: cf. Pers. 5, 57 **100** pervigilare mero: cf. Ov. fast. 2, 740 **101** Sicula aula: cf. Iuv. 6, 486

hunc Dirae ultrices ambitioque premit.
Multaque praetereo, quae si comprendere tentem,
tentem Paestanas enumerare rosas.
Quin etiam decus hoc voluere extinguere regum; 105
me miserum, quantum mens male sana potest!
Extant, qui rigidos enses gladiosque pararunt,
infanda hausturi viscera sacra manu,
extat, qui veteris casus patruique cucullo
contecti in patriam commemoravit iter. 110
Conatus quidam est saevam praebere rubetam
et tu, summe pater, fulmina nulla iacis?
Scilicet adverso, quicumque fuere parentum,
sidere Dalmaticum deseruere solum,
quaque Lycaonius iam surgit ab aequore custos, 115
sedem non faustis constituere locis.
Nil Iovis aut nitidae radii potuere Diones,
Martis erat caelum falciferique dei.
Haec ego te vellem sublimi promere cantu
et patriam ad geminos usque levare polos. 120
Tunc tua lanigeros transcendet gloria Seras,
Eoosque tenet qua niger Indus agros,
tunc licet occumbas armis gelidaque cicuta,
te tamen absumpto fama superstes erit.
Omnia nam pereunt, nisi quicquid plectra sororum 125
eripiunt tenebris Tartareoque lacu.
Tolle tuam Clio! Quid sunt audacia saxa

103 praetereo: praeterea **Ydz** **104** Paestanas **d** pestenas **Y** **105** Regum **d** regem **Y** **107** gladiosque **d** gladium que **Y** **108** hausuri **d** hausturi **Y** **109** veteris **d** veteres **Y** **111** est om. **d** **115** Lycaonius **d** Licoonius **Y** **118** falciferique **Y** falcigerique **d** **119** *marg.* Poetices praestantia **d** **120** ad om. **Yz** **121** lanigeros **d** lanigores **Y** Seras **d** seros **Y** **122** qua **Y** quos **d** **127** saxa **z** facta **d** sexa **Y**

102 dirae ultrices: cf. Verg. Aen. 4, 610 **104** Paestanas rosas: cf. Ov. Pont. 2, 4, 28 **107** rigidos enses: cf. Homer 590; 829 **115** iam...aequore: cf. Sil. 1, 646 **119** promere cantu: cf. Boeth. cons. 3, 2, 6 **122** niger Indus: cf. Mart. 7, 30, 4 **123** gelidaque cicuta: cf. Ov. am. 3, 7, 13 **124** fama...erit: cf. Ov. trist. 3, 7, 50 **127** audacia saxa: cf. Stat. silv. 5, 3, 49

pyramidum et tepidae regia celsa Phari,
aut quis Iasoniam cognoscet Colchida, vultum
Gorgoneum et Pylii mellea verba ducis? 130
Tyndaridos facies, Paelignae forma Corinnae
et cum Quintilia Cynthia fumus erunt.
Haec facit, ut Babylon, Memphis Perseaque Tarsos,
ut Tyriae vivant tecta superba nurus,
Romulides, Macedum rector Poenusque rebellis 135
haec facit, ut volitent cuncta per ora virum.
Et mors, quae reges turba cum paupere mixtos
cum roseisque rapit candida colla genis,
nil in Dircaeos fontes Phoebumque comantem,
nil in Pieridum carmina iuris habet. 140
Scribis, ut in numerum coetus capiaris amici;
risimus et modico solvimus ora sono.
Nam quaeris, quod habes, dudumque patentia pulsas
ostia. Vis saturo sumere ventre cibum?
Sed tamen ut, quae sit nobis sententia, noscas, 145
accipe consilii nuntia verba mei:
Qualis erat Libycae domitori Laelius orae,
Pirithoo Theseus Hyrtacidaeque comes
atque Agamemnonio iuvenis Phoceus Oresti,
Actoridae Aeacides, Deidamia, tuus, 150
Amphitryoniadae qualis Poeantia proles,

131 facies **d** gemini **Y** **133** Tarsos: Tharsos **Y** Tharsus **d** **134** *marg.* Carthago **d** **140** habet **d** habet *corr. in* habeat **143** dudumque **d** dumdumque **Y** patentia **d** potencia **Y** **144** Ostia **d** Hostia **Y** **Y** **147** Libycae **d** libicen **Y** *marg.* Cato **d** (recte Scipio minor) **148** Pirithoo **d** Perithoo *marg.* Euryalus. Nisus. **d** **149** Phoceus: Phocaeus **d** pheceus **Y** Oresti **d** horesti **Y** *marg.* Pylades. Achilles. **d** **150** Aeacides **d** Eacide **Y** Deidamia **d** Deidamira **Y** *marg.* Patroclus. Hercules, **d** **151** *marg.* Philoctetes **d** **153** Finis ...Adelmannum om. **d**

128 pyramidum...Phari: cf. Ov. epist. 1, 34; Mart. 8, 36, 1 **133** Perseaque Tarsos: cf. Lucan. 3, 225 **134** tecta superba: cf. Ov. am. 1, 6, 58 **136** volitent...virum: cf. Verg. georg. 3, 9 **140** in...carmina: cf. Stat. silv. 3, 1, 67 **142** solvimus...sono: cf. Ov. met. 13, 126-7 **146** nuntia...mei: cf. Ov. epist. 16, 10 **147** Libycae orae: cf. Lucan. 9, 496 **148** Pirithoo Theseus: cf. Stat. Theb. 1, 473; Ov. met. 8, 303 **151** Poeantia proles: cf. Ov. met. 13, 45

tales nos erimus, dulcis amice, tibi.
Finis carminis domini Bohuslai de Lobkowicz ad Bernardum Adelmannum.

35

(In papaemastygam)

Pontificem quisquis mordaci dente lacessis,
an dapibus blattas vis satiare novis?
Ista quidem culicum non curant spicula barri
Hyblaeas Scythicus nec timet ursus apes.
Nec laedunt Ithacum Thersitae dicta procacis 5
nec sanctae ecclesiae lingua canina nocet.
Taliter (ut fama est) Phlegraeo ex agmine fratres
tentarunt supera pellere sede deos.
Quid fuste e duro quadratam marmore turrim
et solido muros ex adamante quatis? 10
Scilicet ut foedo scarabaeus stercoris orbe,
sic tu stultitia pascere, talpa, tua.
Dant sine mente sonum raucae per rura cicadae
devia, cum bibulam Sirius urit humum.
Tu carmen sine mente facis, dum pectus Erinys 15
occupat et Stygii cetera turba lacus.
Nec tamen exulta, siquidem moderator Olympi
non dormit, quanquam fulmina nulla iacit.
Aut hoc aut alio certe, nisi desinis, orbe

35. 1 pontificem **UY** pontificum **i** **3** ista **UY** illa **i** **4** ursus **iU** versus **Y** **5** Ithacum **i** Itacum **UY** Thersitae **i** Tersite **UY** **11** scarabaeus **iU** scarrabeus **Y** **13** dant **iU** dent **Y** **15** Erinys: Erynnis **i** herinis **U** Herinis **Y**

2 an...novis: cf. 4,2 **3** ista quidem...barri: cf. 4,4: illa quidem...barri **6** lingua canina: cf. Plin. nat. 29, 99 (4, 403, 10) 9-10: cf. 4, 5-6 **12** pascere talpa: cf. 4,8 **13** dant...sonum: cf. Verg. Aen. 10, 640 **14** Sirius urit: cf. Claud. carm. min. 30, 6 **17** moderator Olympi: cf. Germ. Arat. 32 13-15 dant...facis: cf. 4, 9 – 11

perfidiae capies praemia digna tuae. 20
τέλος

36

Hercule confosso respirat belua Lernae,
forsitan hanc tristes exagitant Furiae.
Cui satius foret haec digito compescere labra,
morsu quam rabido pungere sponte viros.
Papam cur spurcis audet lacessere verbis 5
Orci mancipium? Quod mala sors rapiat!

37

(De Alexandro summo pontifice)

Dicis Alexandro caelum venale polosque,
ipse simul versu et religione malus.
Vendat Alexander sane caelestia, sed tu
non ob Alexandrum Tartara nigra petes.
Congreget is nummos, ut vult, Petreia navis 5
tuta tamen Christi numine semper erit.
Nec metuit ventos nec ponti murmura portum
et tanget Stygio vel prohibente cane.
Tu quoque, ni talpa es propriis in moribus, ipso
forsan Alexandro es deteriore loco. 10

20 capies **iU** capias **Y** **21** τέλος om. **i**

36. 3 satius: facius **Y** digito: digitto **Y** **4** sponte: spente **Y**

1 belua Lernae: cf. 68, 116; Verg.Aen. 6, 287; Mart. 5, 65, 13 **2** tristes Furiae: cf. Claud. rapt. Pros. 2, 219

37. 4 Tartara nigra: cf. Ov. trist. 1, 2, 22

38

(Ad sanctum Henricum)

Caesarei splendor solii, dum vita manebat,
  at nunc sidereae gloria militiae,
salve, dive, tuum populum te rite colentem,
  Henrice, a Stygiis eripe suppliciis.

39

(Ad sanctum Martinum)

Ille preces castas, alius ieunia praestat,
  hi saturant aras, hi tibi tura ferunt.
Nos te spumanti colimus, Martine, Lyaeo
  inque tuas laudes ebria turba sumus.

40

(Elegia, in qua rex Wladislaus cum Fortuna colloquitur)

Quid, Fortuna, paras? *Meditor tibi tristia.* Quare?
  Non recte plebem, Wladisilae, regis.
Quas ob res? *Quoniam te rege licentia summa
  omnibus et nullus iustitiae locus est.*
Dic, quid ago! *Passim pateris saevire tyrannos.* 5
  Ipse mihi non sum conscius at sceleris.
Opprimitur vulgus te sceptra tenente. Fit horum
  me mandante nihil. *Non prohibente tamen.*
Esse volo clemens. *Rideris proque benigno
  ignavum proceres pontificesque vocant.* 10

38. 1 dum vita manebat: cf. 24, 161; 246, 5; Verg. Aen. 5, 724 et sqq.

39. 2 tura ferunt: cf. Lucan. 7, 42 **4** ebria turba: cf. Prop. 4, 4, 78

40. 3 licentia summa: cf. Val. Max. 2, 7, 3, 9 (459, 132)

Pax tranquilla placet. *Sed Turci bella minantur*
subiectique parum certa fides populi est.
Dic, quare! *Patrui quoniam tibi fata precantur*
barbaricum duce te servitiumque timent.
Sunt mihi militiae gnari, sunt fortia bello 15
pectora. *Non illis solvitur aes solitum.*
Et mihi saepe deest. *In promptu causa, tuae quod*
passim a privatis diripiuntur opes.
Omnia reddidimus tuta. *At ter mille tuorum*
Turcorum memorant nunc subiisse iugum. 20
Quid faciam? Iubeo, sed nemo recta iubenti
paret. *Mathiae paruit omnis homo.*
Saevus erat. *Saevus nobis dominetur oportet,*
cervicis durae nempe caterva sumus.
Mutabo mores ergo fiamque tyrannus. 25
Et *Laudo et moneo, credere sed nequeo.*
Cur, quaeso? *Quoniam in teneris consuescere multum.*
Regius, ut video, est ense tuendus honor.
Hoc si robur inest animo, mirorque proboque.
Improbitas mite exasperat ingenium. 30
Effice, quod loqueris! Faciam. *Nisi feceris, alto*
crede mihi, solio, Wladisilae, cades.

41

(Epitaphium Hermolai Barbari)

Quid fles, Calliope? Linguae spes una Latinae,
succubuit fato Barbarus ecce meus.
Quid fles, Phoebe, nigra crines umbrante cupresso?
Succubuit fato Barbarus ecce meus.

11 pax tranquilla: cf. Lucan. 1, 171 **15** sunt...bello: cf. Verg. Aen. 8, 150 **18** diripiuntur opes: cf. Ov. trist. 3, 10, 58 **27** in...multum: cf. Verg. georg. 2, 272 **29** robur...animo: cf. Lucan. 5, 15

41. *in tit.* Ermolai U

Quid fles, Cecropias quae cuspide protegis arces? 5
Succubuit fato Barbarus ecce meus.
Succubuit latique parum, vir maximus omnis
aetatis, mundi contumulatus habet.
Illius at totum vivet sine fine per orbem
gloria, donec erunt sidera, terra, fretum. 10

42

(Aliud eiusdem)

Hermoleos iacet hic, non re, sed nomine tantum
Barbarus Aonii spesque decusque chori.

43

(Ad numen divinum)

Maxime caelorum rector terraeque marisque,
huc ades et nostrum dirige, quaeso, melos.
Dirige sermones, titubantem dirige linguam
ad laudem fidei stelligeraeque domus!
Quod ioca, quod ludi, quod verba minantia nunquam 5
fecerunt, faciant carmina nostra, precor,
agnoscatque sui pecus hoc pastoris ovile
prodigus et repetat tecta paterna puer!

44

Caelorum pelagique sator terraeque iacentis,

7 parum **d** patrum **U**

9 sine...orbem: Plin. nat. 31, 8, 5 (4, 7) **10** sidera...fretum: cf. Ov. ars 2, 468

43. 1 caelorum **i** coelicolum **d** **8** *om.* **d**

5 verba minantia: cf. Ov. met. 1, 91; 15, 793 **7** pastoris ovile **8** tecta paterna: cf. Catul. 64, 246

huc precor, o rerum maxime rector, ades!
Magna parant homines, quorum tu nomina nosti,
et vix mortali perficienda manu.
Horum, summe parens, inspira pectora, sacrum 5
et flatum populi mentibus inde tui!
Fac possit laqueos Stygii vitare tyranni
tensaque in exitium spicula mille suum.
Quique diu in tenebris vixit caliginis atrae,
nunc videat lumen sidereumque iubar! 10

45

(Elegia III. in obitum Caroli Caesaris et regis Bohemiae)

Qui Romae et patriae quondam flectebat habenas
Carolus, hunc celebrem condidit ecce locum.
Illius in bello quid victrix dextera posset,
senserunt Itali populiferque Padus
Alpinaeque nives Rhenique fluenta bicornis 5
lataque caerulei litora Danubii,
illius ingenium, mores sanctosque recessus
pectoris ac patriae iura verenda docent.
Si bellum spectas, Poeno Macedumque tyrannis
atque Dionaeo Caesare maior erit. 10
Si pacem quaeris, rigidi censura Catonis
et Curius cedet Fabriciusque gravis.
Instituit studium Pragae, tot templa, tot arces
condidit, erexit pontificale decus.
Nec tamen imperium pleni nec honoribus anni 15
tam clarum fatis eripuere virum.
Scilicet haud parcunt Parcae nec avara dearum

44. 7 tyranni: tirranni **U** **8** exitium: exicium **U** exilium **t**

2 maxime rector: cf. Mart. 9, 36, 4 **3 – 4** Magna...manu: cf. **f** 43,22

45. 4 populiferque Padus: cf. Ov. am. 2, 17, 32 **7** Pers. 2, 73 **8** iura verenda: cf. Stat. Achil. 2, 164

stamina mortalis flectere vita potest
nec vetus annosi requiescit cymba Charontis,
dum per Tartareos itque reditque lacus. 20
Quot volucres caelum, quot pisces claustra Pelori,
quot Pandionius gignit Hymettus apes,
tot generi humano discrimina fata minantur
totque viae nigrum sub Phlegethonta patent.
At vos pro meritis, quod solum denique fas est, 25
orate, aeternum, Carolus ut valeat!

46

(Epitaphium regis Ladislai)

Quisquis ad hoc venies magnum et venerabile templum,
siste, precor, gressus ad mea busta tuos
atque Ladislaus quam parva claudar in urna,
aspice, tot procerum qui dominator eram.
Pannonios rexi populos Albimque ferocem 5
et quicquid gelidis alluit Ister aquis
et neque Iuleis ducibus, si dicere fas est,
inferior generis nobilitate fui.
Iam mihi Gallorum coniungi filia regis
debuit et patri pignora cara dare, 10
iam fera barbaries trepidabat meque salutis
credidit auctorem Graecia docta suae,
sed spes vana fuit, rapior iuvenilibus annis,
hunc tumulum corpus, spiritus astra tenet.

21 claustra Pelori: cf. Verg. Aen. 3, 411

46. 13 iuvenilibus annis: cf. Claud. 17, 60

47

(Domini Ioannis Rupovii)

Curia quem regis nuper venerata magistrum est
  quique domi clarus militiaeque fuit
cuius et eloquium regi patribusque placebat,
  Ioannes tumulo hoc Rupovius recubat.

48

(Ad Ioannem Sslechtam de interprete suorum carminum elegia)

Transtulit in patriam quidam mea carmina linguam,
  haec proceres, populus nobilitasque legit.
Irascor facto bipedis vehementer aselli
  et damno Musas ingeniumque meum.
Scilicet hoc vires interprete lingua Maronis 5
  amittet, mutus magnus Homerus erit.
Cum Cicerone alti Demosthenis ora silebunt,
  vanescet Pylii Dulichiique lepor.
Nostra quoque Arctoas olim celebrata per oras
  hoc duce non solito carmina more sonant. 10
In messem ne, quaeso, meam, mi barbare, falcem
  insere, non etenim scripsimus illa tibi.
Cur tractare libet, quae non intelligis, arva,
  et quae tractando deteriora facis?
Aptior es curvo, si quid mihi credis, aratro 15
  findere neglecti sordida rura soli,
quam pulsare lyram et nostras versare Camenas
  et Parnassiacis ludere velle modis.

47. *in tit.* Rupowsky U

2 quique U quidque i **4** Rupovius i Rupowius U

48. 3 bipedis aselli: cf. Iuv. 9, 92 **17** pulsare lyram: cf. Octavia 816

49

(Epitaphium Styborii)

Regna Iovi coniuncta tenet Styborius, Orci
  claustra tenet quoniam Iuppiter et tenebras
arceturque polis. Nec enim sine remige Petri
  scanditur ad summi tecta beata Dei.
Scilicet eloquii cui quondam palma dabatur, 5
  en stupet infelix attonitusque tacet
et se Romanum nollet laesisse senatum
  contempsisse sacrae mystica nec fidei
pastorisque sequi nunc vellet iussa Latini
  et, quae religio Christicolaeque docent. 10
Nil prodest illi fastus cervixque repanda,
  nil caput ad nitidos paene levasse polos.
En Phlegethonteae fit turbae praeda nec ullus
  finis eum poenae suppliciique manet.
Sic punit Dominus, quisquis pia dogmata ridet 15
  ingenio fidens eloquioque suo.

50

(Epitaphium Angeli Policiani)

Pieridum columen, Phoebeae gloria turbae,
  Angelus hoc saxum Politianus habet.

49. 1 regna coniuncta: cf. Manil. 4, 352-3 **11** cervixque repanda: cf. Plin. nat. 14, 139 (2, 507, 11)

50. 1 Pieridum columen: cf. Claud. carm. min. 2, 1

51

(Ioannis Pici)

Dignior Assyriae volucris cognomine Picus
Ioannes tumulo hoc mortuus ecce iacet.

52

(Georgii Merulae)

Qui fuit Ausoniae splendor Graiaeque Minervae,
insignem Merulam contegit iste lapis.

53

(Ad Alphonsum regem)

Cur, Alphonse, gemis, populis agrisque direptis?
Non opibus paritur divitiisque salus.
Privari virtute nocet, non rebus et auro;
confert illa polos, hoc mala cuncta docet.

54

(De Alphonso rege)

Consilium, classem, nummos rex Gallus equosque,
Alphonsum ut regno pellere possit, habet.
Consilium, classem, nummos Alphonsus equosque,
a Gallo sese quo tueatur, habet.
Consulitur Phoebus, quae speratura triumphum 5
sit legio et voto quae potitura suo.
Delphica sic perhibent resonasse oracula: Victor,
quem velat Thisbes nobilis arbor, erit.

55

(Epicedium in funere D. Ioannis Leporis ab Hassmburg)

Discite, vos homines, quos lucri vana cupido
  et levis ambitio nocte dieque tenet,
discite quam fragili mortalis gloria filo
  haereat, ut subito, quae valuere, ruant.
Ecce decus patriae, regni spes una labantis, 5
  militiae et rauci splendor honosque fori,
egregium specimen morum lumenque senatus,
  Ioannes dira morte peremptus obit.
Me miserum, quanta premimur caligine rerum
  et quantis caeci vivimus in tenebris! 10
Ut quid divitiae sunt nobis? Ut quid honores?
  Ut quid Sidonia vellera tincta manu?
Quid iuvat extremos armis domuisse Britannos,
  possedisse Arabas occiduumque Tagum?
Omnia mors tollit, quaecumque amplectitur aether 15
  subque suas leges omnia fata vocant.
Non, quae Seres habent, non, quae Panchaia tellus,
  non, quae gemmiferae litora Taprobanes,
non, in Erythraea quae colligit Indus arena,
  flectere Parcarum stamina sacra queunt. 20
In medio rapimur vitae componimus annis
  et quicquid multis, destruit hora brevis.
Dum sectamur opes, dum serta, unguenta, puellas,
  pone venit tacito mors odiosa pede.
Non iuvenes metuit, teneris non parcit ephebis, 25

55. 2 levis ambitio: cf. 406, 2; Ov. fast. 1, 303 **4** ut...ruant: cf. Ov. Pont. 4, 3, 36 **6** rauci fori: cf. Claud. carm. min. 20, 8 **7** specimen morum: cf. Apul. apol. 11, 13, 6 **9** caligine rerum: cf. Stat. silv. 2, 2, 138 **13** extremos Britannos: cf. Claud. 2, 149 **17** Panchaia tellus: cf. Ov. met. 10, 309 **19** colligit Indus: cf. Sulp. Tib. 4, 2, 20 **20** Parcarum stamina: cf. Lucan. 6, 777 **23** serta...puellas: cf. Iuv. 9, 128 **24** venit tacito pede: cf. Tib. 1, 10, 34; Ov. ars 3, 711 **25** teneris ephebis: cf. Mart. 9, 7, 7

non roseas curat sanguinolenta genas.
Facundos rudibus, locupletes aequat egenis
indoctos reddit philosophisque pares.
Clarus erat quondam bello Priameius Hector,
clarus et Aeacides Aeacidaeque satus. 30
Dux Macedum totum circumtulit arma per orbem,
Hannibal Ausonium terruit imperium.
Condidit Assyriam formosa Semiramis urbem,
Cyrus Medorum sub iuga misit opes.
Scipiadas taceo et referentem signa Camillum 35
et vos, o Curii Fabriciique graves.
Caesareos proceres et regem transeo Ponti
et te Niliaco contumulate solo.
Novit Aristoteles terrarum arcana fretique
et quaecumque hominum mens animusque capit. 40
Carmine Maeonides morientem vicit olorem,
cessere Orpheae Thracia saxa lyrae.
Taenaria quid erat celebratius orbe marita
et quid Amazonio castius Hippolyto?
En omnes velut umbra silent et forte prioris 45
supplicium vitae nomina tanta luunt.
Gratus erat regi, cui parent Albis et Ister,
Ioannes, gratus principibusque suis.
Multa quidem potuit, tanto tam carus amico,
est visus nulli sed nocuisse tamen. 50
Si genus et proavos et stemmata longa requiris,
Assaraci superat nobilitate domum.
Clara viro facies, mores gravitate verendi
atque in facundo plurimus ore lepos.
Illius eloquium nascentes saepe tumultus 55
et rabiem irati composuit populi.
Quin etiam reges quoscumque orator adivit,
ingenii movit dexteritate sui.

35 referentem...Camillum: cf. Verg. Aen. 6, 825 **46** supplicium vitae: cf. Stat. Theb. 1, 53-4

Aequus erat pravique fugax patiensque laborum
omne voluptatum despiciensque genus. 60
Atque ut pauperibus facilis portusque bonorum,
sic scelerum vindex perniciesque malis.
Non hominem a recto flexerunt grandia regum
dona nec illecebrae, prave Cupido, tuae.
Inscia mens illi fraudis nulloque veneno 65
livida, veriloquo nullus in ore dolus.
Et procul a fastu, quamquam fortuna iuberet
tollere ventosum saepe supercilium.
Scilicet haud parvum est opibus non tradere mores,
esse auro Croesum, religione Numam. 70
Fidus amicitiae cultor, Poeantius heros
qualis et Aegides Hyrtacidesque fuit,
denique Germanae speculum et sincerus amator
iustitiae, tamen hunc mors violenta tulit.
Nempe opifex rerum, mundi nascentis origo 75
immortale hominum noluit esse genus,
noluit, ut quicquid lunari clauditur orbe,
provocet aeternas prosperitate domos.
O, ubi maiestas animi vultusque modestus
Hyblaeoque magis dulcia verba favo? 80
Sic rosa, sic violae, sic summa papavera florent,
dum matutino gramina rore madent.
Cynthius Oceanis sed postquam mergitur undis,
non secus ac fumus praeterit ille decor.
Nunc certe, si quando prius, deterrima Clotho, 85
debebas rapidam continuisse manum.
Quid viduasse iuvat nostras hoc praeside leges
iudicioque suum praeripuisse ducem?
Quid populo et patribus tantos immittere luctus,

62 scelerum vindex: cf. Lucan. 9, 17 **69** opibus...mores: cf. Mart. 11, 5, 3 **74** mors violenta: cf. 77, 29; 335, 10; 492, 6 **75** opifex rerum: cf. 465, 13; Ov. met. 1, 79 **77** lunari orbe: cf. Mart. Cap. 2, 156 (47, 3) **81** rosa...papavera: cf. Verg. ecl. 2, 47 **86** rapidam manum: cf. Verg. Aen. 8, 442

Hyrcanas vincis saevitiane feras? 90
Tu matres natis privas adimisque maritos
coniugibus orbas canitiemque patrum.
Impia sis quamvis Scythicaque immanior ursa
et Phlegethonteis asperior Furiis,
non tamen extingues laudem nomenque perenne 95
Ioannis, si quid Musa pusilla valet,
si quid et Aonio manantes vertice lymphae
et iunctus Baccho clarus Apollo potest.
Vivit Aristides virtusque immensa Catonum
et tot Graiugenum Romulidumque duces. 100
Vivet Ioannis probitas, dum lucidus almum
Eoo Titan ducet ab axe diem.
At non hic Stygiis illis sociatus in undis
praemia sacrilegae religionis habet,
sed meliore sui caelestes parte recessus 105
aethereique simul possidet astra poli.
Non illuc veniunt, qui fuso sanguine gaudent,
praeponunt menti divitiasve piae,
sed qui depressis faciles viduisque fuerunt
et rectum imperio praeposuere minus, 110
Eustachius qualis domitorque Georgius hydrae
et Venceslaus Mauritiusque fuit.
Fulget in hoc coetu Ioannes lumine plenus
laetaturque animae vincula fracta suae.
Illius exemplo tu, qui iuvenisve senexve es, 115
virtutem colito, iura fidemque Dei.
Hoc te, dum vivis, magnum sine fine per orbem
omnibus et gratum (crede mihi) faciet.
Hoc tibi post funus divinam conferet aulam
ad caeli et pandet sidera qua sit iter. 120

100 Graiugenum: Gravigenum i

97 Aonio vertice: cf. Verg. georg. 3, 11 **101 – 102** lucidus Titan: cf. Sen. Herc. f. 124 **103** Stygiis undis: cf. Verg. Aen. 3, 215 **117** sine...orbem: cf. Plin. nat. 31, 8, 5 (4, 7)

56

(Domini Ioannis Leporis Hasmburgensis)

Ioannem lapis hic Leporem tegit, inclita virtus
cui nomen sublime dedit, qui patria iura
non secus atque Solon novit magnusque Lycurgus.
Illius est, quicquid leges et sanctio patrum
prisca potest. Cessere togae Mavortia bella 5
hoc duce. Quapropter, si pax tranquillaque curae
otia sunt alicui, Ioanni aeterna precetur
praemia caelicolumque domos sedesque beatas.

57

(Aliud eiusdem)

Ioannem lapis hic Leporem tegit, inclita virtus
cui famam et nomen tempus in omne dedit.
Illius est, quicquid leges et iura parentum,
scilicet et regum sanctio prisca potest.
Hoc duce concessere togae Mavortia bella, 5
vomeribus gladii succubuere truces.
Si tibi pax igitur tranquillaque tempora cordi,
Ioanni requiem, lector amice, roga.

56. 1 inclita virtus: cf. Sen. Herc. O. 1984 **8** sedesque beatas: cf. Verg. Aen. 6, 639; Sil. 4, 46

57. 1 inclita: inclyta i

1 inclita virtus: cf. Sen. Herc. O. 1983 **8** lector amice: cf. Ov. trist. 3, 1, 2; Mart. 5, 16, 2

58

(Alsonis vicecamerarii tabularum)

Funde, precor, lacrimas, istac qui vadis, Aleso
et dic: Sit cineri terra benigna suo.
Noverat hic leges nostras et iura fideque
vincebat cunctos et probitate simul.
Non minus eloquio populum ducebat Ulysse,
mortuus hoc tumulo conditus ecce iacet.

59

(Doctoris Alexii)

Et patriae et lumen totius Alexius orbis,
interpres legum iustissimus, optima vitae
regula, sanctorum speculum venerabile morum,
exemplar fidei, quem mystica saepe loquentem
monstrantemque viam, quae ducit in atria caeli,
attonitum stupuit vulgus, iacet ecce sepultus
hoc tumulo carum populo deflente magistrum.
Huic tu, summe parens, qui terram et saeva gubernas
aequora, da requiem veram numeroque piorum
insere felici Stygio nec gurgite mergi
praeconem patiare tuum. Mercede cruoris
est emptus sacri lotusque salubribus undis.

60

(In adventum regis Wladislai)

Fama refert, foliis cum primum silva tegetur,
visere te nostros constituisse Lares.

59. 2 interpres legum: cf. Iuv. 4, 79; 6, 544 **5** in atria caeli: cf. Stat. Theb. 1, 197 **6** attonitum vulgus: cf. Ov. met. 14, 412

Laetamur cupimusque diem illucescere, nostri
cernere qua regis quilibet ora queat.
Hoc a caelicolis etenim miserabile vulgus, 5
hoc ipsi proceres nobilitasque petit.
Hoc votum est hominum, lacrimis id poscit obortis,
porrigit ad caelos femina saepe manus.
Nempe velut medicus patientibus hemitritaeum
gratus et afflictae fluctibus aura rati est 10
utque placent latae fessis messoribus umbrae,
exulibus patriae dulcia tecta domus,
non aliter (quamquam sero) populusque patresque
gaudebunt reditu, Wladisilae, tuo.

61

(De Hyndraco)

Discite venturi, quantum facundia possit
et quantum virtus et probitas valeat.
Hyndracus tabulis praeponitur; ipsa quiescit
ambitio et sese succubuisse dolet.
Est aliquid certe regis quaesisse favorem 5
moribus et summos demeruisse viros
et commissa sibi vigili curasse labore,
imposuissse animo deliciisque modum.
Hoc duce carpe viam, cui laus et gloria cordi est
quique volare virum cuncta per ora cupis, 10
non solum caelo siquidem redduntur honores,
et terris dignos praemia digna manent.

60. 5 miserabile vulgus: cf. 68, 218; 199, 45; Lucan. 6, 110 **11** fessis messoribus: cf. Verg. ecl. 2, 10

61. 9 duce...viam: cf. Ov. met. 8, 208 **12** praemia...manent: cf. Claud. rapt. Pros. 1, 197

62

(De eodem Hyndraco)

Hoc quoque post multos casus multosque labores
Hyndracus tandem tabularum munus obivit.
Sic Wladislaus regnantum nempe volebat
optimus et proceres eius totusque senatus,
sic curae meruere suae vitaeque prioris
tempora et a nullo scelerum mens laesa veneno.
Non minor hic lingua, Pylius quam Nestor et ille,
hibernae fluxere nives e pectore cuius,
non minus et patrii iuris morumque peritus,
quam Pandioniae quem mirabantur Athenae
aut qui Taenariam fundavit legibus urbem.
Saepe illum stupuit populus patresque loquentem
versantemque animos vario per singula ductu,
illum ob virtutem cum paupere dives amabat.
Te quoque, posteritas, dignae praeconia famae
ne pigeat tribuisse viro, qui semper amicus
iustitiae cultorque fuit, dum vixit, honesti.

63

(De Iani Varadiensis Zoilo)

E pelago fugiens ad portum Ianus amoenum
   navifragae ridet murmura laetus aquae
damnat et illecebras mundi vitamque piorum
   et caeli volvit gaudia sancta animo.
At tu, qui Ianum lacerasti, γνῶθι σεαυτόν

62. 1 quoque **sel** i quo **U** casus i carus **U** **2** tandem i quondam **U** **6** scelerum i scelere **U** **8** e pectore i a pectore **sel** **13** amabat: arabat **U**

8 hibernae nives: cf. Plin. nat. 37, 23 (5, 390, 6) **10** Pandioniae Athenae: cf. Ov. met. 15, 430 **14** praeconia famae: cf. Ov. epist. 12, 207 Stat. Theb. 2, 176 **16** iustitiae cultor: cf. Lucan. 2, 389

et iacere in summum desine probra virum.
Altior invidia est, nihil haec convicia curat
nec metuit linguae dira venena tuae.
Humanos casus sublimi mentis ab arce
despicit et summo dat pia vota Deo. 10
Quid semper virus, quid semper lurida verba
proicis? An soli est fas tibi verba loqui?

64

(Ioannis Canter Frisii)

Si quis in hac oculos circumfers aede, viator,
aspice, quem parvus contegat en tumulus.
Nam Canter iacet hic, iuris consultus et aequi,
Frisius, Aoniae gloria summa chelys.
Magnus erat studiis, praestabat fulmine linguae, 5
praestabat multo sed probitate magis.
Hoc duce doctiloquas terrebat Rhenus Athenas,
certabant Latio litora nostra Pado.
At nunc eloquium, leges ipsasque Camenas
Ioannes secum detulit ad superos. 10
Tu lacrimis ne parce, precor: Si Nestoris annos
transcendes, dignum nil videas lacrimis.

65

(Aliud Ioannis Canter)

Ioannes Canter, Curio magnoque Lycurgo
atque Numae similis Fabricioque gravi,

63. 6 iacere probra: cf. Liv. 2, 45, 15 (118) **9 – 10** mentis...despicit: cf. Stat. silv. 2, 2, 139

64. 12 transcendes: transcedens i

5 fulmine linguae: cf. Sil. 8, 409

eloquio vincens Ciceronem, carmine Homerum,
sed virtute omnes, mortuus hic tegitur.

66

(Ad Iacobum Canter Frisium)

Canter, Pieriae decus cohortis,
qui doctus tenerae datum puellae,
Thebanas memorare vel potentem
flammas et Priami referre cladem
demittis, tibi Musca Luciani, 5
Mures Maeonidae, Culex Maronis
concedunt, Siculus tibi poeta
(cui Battus Corydonque grande certant,
Thyrsis provocat Aepolumque cantu),
dat palmam gelidusque iam superbit 10
Rhenus nec metuit Melatis undam,
ipsum denique nuntium lacessit.
At tu perge, precor, novos libellos,
Canter, condere, quos legant nepotes
et quos posteritas amet probetque. 15
Sic Cyllenius et novem sorores,
sic te diligat artium Minerva
inventrix foveatque sic Apollo.
Postquam spiritus at relinquet ossa,
immensi tibi fabricator orbis 20
sedes donet adire sic piorum.

66. *in tit.* Canter: Canther i

67

(De Iacobo Canter Frisio)

Ut quid Pierides, ut quid Latonia proles
 docta Medusaei linquitis antra lacus?
Barbariem fugimus gelidamque requirimus Arcton,
 caeruleis Rhenus qua freta findit aquis.
At quid cum Rheno Musis pigrique Bootae 5
 frigoribus? Sedes has Iacobus habet.
Huic quid vobiscum? Nostro se proluit amne
 et nostra lauro tempora cincta gerit.
Quid deinceps? Eius habitatum docta venimus
 pectora, nam docto est is domus apta choro. 10

68

(Summos Christianos principes contra Turcas excitans adhortatorium carmen)

Barbara gens urget populum, quem fonte salubri
abluit unda potens delere piacula mentis
omnia pollutae; iam pleni milite campi,
iam pedites equitesque ruunt tumidumque profundum
innumeris fervet ratibus, vix sustinet hostem 5
religio iam sacra ferum; Petrea fatiscit
cymba nec immensae pelagi iam sufficit irae.
Quid facis in tanto discrimine, maxime regum?
Cur non bella paras pubemque hortaris ad arma

67. *in tit.* Canter: Canther **i**

5 pigrique Bootae: cf. Iuv. 5, 23

68. 7 cymba **b** cimba **pil**

1 barbara...populum: cf. Mant. cal. 3, 272; Tifern. vat. 1 **2** abluit unda: cf. Prop. 2, 19, 26; Ov. met. 4, 740 **3** plenos milite: cf. Tifern. vat. 15 **7** sufficit irae: cf. 15, 169 **8** quid...regum: cf. Tifern. vat. 45

Germanam, bello gaudentem et fortibus actis? 10
Scilicet ut capreas per montis devia captes
accipiterque tuus praedam circumvolet uncis
unguibus aeriam, patrius vastabitur Ister
Dalmaticique Lares et Iapygis arva Timavi.
Te memorant Celtas et regis tela superbi 15
et coniuratos Morinis fregisse Batavos,
sub iuga caeruleum crines misisse Sicambrum.
Quo vigor hic abiit? Nostrone in sanguine fortis
fundendo externos faciem submittis ad enses?
Mille tibi populi parent, tua castra sequuntur 20
mille duces sueti bello; cur cornua cessant
victricesque tubae? Litui cur classica fundunt
nulla? Tuas cur non aquilas Byzantius hostis
horret et ereptam cur non se Graecia gaudet
servitio gentesque Haemi Rhodopeque nivosa 25
ruraque Pieriis ipsi contermina caelo
carminibus? Quid tu, Gallae qui tecta Viennae
spumosumque domas Ararim, quem clarus honorat
Insuber et populi Ligurum, gentilia quare
praelia nunc refugis paterisque instare tyrannum 30
Christiadum Laribus, gladium per nostra vagari
pectora barbaricum? Num iam tua lilia marcent
et satis est Capuae, Baiis viridique Vesevo
atque Phalanteo bellum intentare Tarento?
Tu quoque, rex, cuius magnas Tartesia tellus 35
admiratur opes, quo principe nuper habenas
excussit Baetis Libycas, educis in arma

12 circumvolet **pil** circumvolat **b** **13** aeriam **pbl** aeream **i** Ister **i** Hister **pbl** **14** Iapygis **i** lapidis **pbl** **19** fundendo **pbl** fruendo **i** **22** tubae ? **i** tubae et **b** tubae, **l** tube: **p** **23** Byzantius **il** Bizantius **bp** **31** Christiadum **i** Christicolum **pbl** **33** satis est **i** satis es **pbl** **34** Phalanteo **pil** phalantheo **b**

11 montis devia: cf. Sulp. Tib. 4, 3, 2 **14** Iapygis arva: cf. Ov. met. 15, 52; Mant. cal. 2, 534 **15** Celtas...superbi: cf. Mant. cal. 3, 386 **26** contermina caelo: cf. Sil. 17, 318 **29** populi Ligurum: cf. Liv. 42, 8, 4 (60) **34** Phalanteo Tarento: cf. Sil. 11, 16 **36 – 37** habenas excussit: cf. Sil. 6, 556

cur non occiduas gentes Sicorimque Tagumque
Herculeum? Cur non quam primum traicis aequor
classibus et subigis Numidas legesque Tuneto 40
imponis sacraeque crucis mysteria pandis
Aethiopum populis et qua Garamantes et Indi
extremas habitant oras divisaque mundo est
Taprobane? Si verus honor, si gloria cordi
est tibi, si verae flagras virtutis amore, 45
fer, precor, auxilium fidei gladiosque minaces
in stirpem converte Arabum, quam perfidus olim
traxit ab ecclesiae gremio variisque tenebris
implevit scelerum Mahometes; concute pectus
consiliis gravidum castis ensesque retunde 50
Eoos Scythicique ducis confringe secures.
Tuque Calydonii nemoris vergentis in Arcton
et moderator agri, cui servit frigida Thule
atque Lycaonius cui prono lumine custos
imminet et Graiis Helice observata carinis, 55
circumda Europam ratibus patrumque secutus
gesta cruentatum divino sanguine collem
eripe Niliaco regi Lageaque tecta
quaque Palaestini tractus et dives Idume
palmetis, qua docta Tyros miscere veneno 60
vellera gentili subversae et moenia Gazae
castra loca gentesque nigra in caligine mersas
Petreo coniunge gregi lumenque per omne
sparge solum fidei. Syrius cognoscat Orontes
te duce Romanae latebras et mystica legis. 65
Humani generis dignissime rector, ovilis

38 Sycorimque **i** Sicorimque **pbl** **39** quamprimum **pil** cum primum **b** **40** Tuneto **il** Tuneti **pb** **41** mysteria **il** misteria **pb** **53** Thule **ib** Tile **pl** **56** circumda **bl** circunda **pi** **56** secutus **pbl** sequutus **i** **59** quaque **il** quique **pb** **61** subversa ad **b** subversae et **pi** submersa et **l** **65** romanae **i** Romanae **pbl**

49 concute pectus: cf. Verg. Aen. 7, 338 **58** Niliaco regi: cf. Mant. cal. 1, 508 **59 - 60** dives...Tyros: cf. Lucan. 3, 216 **60 - 61** Tyros...vellera: cf. Boeth. cons. 2, 59 **62** caligine mersas: cf. Verg. Aen. 6, 267

aeterni qui claudis iter, quod sidera confert,
et reseras, superae qui verus ianitor aulae
crederis a populis, latum circumspice, cingit
quem pater Oceanus vitreis torrentibus, orbem; 70
Sive quidem calidum mentem convertis in austrum
sive ortus spectas, tepidum qua dividit aequor
multifidus Ganges, Riphaeos sive triones
et gelidum Tanaim, Nabataeos cuncta sequuntur
errores. At tu, si fas est dicere, praesul 75
optime, Romana laetus requiescis in arce
et digitis aurum versas et multa modesto
dissimulanda facis iussusque abscondere ferrum
decernis ferro turbarique omnia saevo
Marte sinis; taceo caelum venale Deumque 80
et dominos veteres pulsos ingensque pudendae
imperium sobolis. Sed non sic itur ad astra,
non iubet haec caeli frenator. Martia certe
si tibi bella placent, Turcarum invade catervas,
a caulisque lupos arce torvosque leones 85
commisssarum ovium, miseris qui dura minantur
Christicolis optantque tuam convellere Romam
et Capitolinis immittere sedibus ignes.
Magnus es, at maior lati dominator Olympi,
qui sceleri rectisque simul dat praemia factis, 90
intima qui cordis penetrat, secreta cubilis
noscit et aurata tectos lodice cinaedos
pandentesque femur tanta mercede puellas,

74 sequuntur **pil** sequantur **b** **83** Martia **bil** marcia **p** **84** Christicolis **bil** Cristicolis **p** **86** qui **pil** quae **b** **87** optantque tuam **bil** optant tuamque **p** convellere **i** *in exemplari Bibliothecae musei Pragensis ms. corr.* convertere **pbl** **88** at **il** et **pb** **89** Olympi **bi** olympi **l** olimpi **p** **92** noscit **i** qui scit **b** nescit **pl** cinaedos: cynaedos **pbil**

72 dividit aequor: cf. Catul. 64, 179; Lucan. 2, 220 **74** gelidum Tanaim: cf. Mant. cal. 2, 298 **79 – 80** saevo Marte: cf. Lucan. 7, 613 **82** sic...astra: cf. Verg. Aen. 9, 641 **88** Capitolinis...ignes: cf. Cic. div. 1, 19 (14, 6) **89** dominator Olympi: cf. App. Verg. 1, 87

his ut divitiis Ephyraei gloria scorti
cesserit et Rhodopes Floraeque in templa receptae 95
Romulidum. Cuius, pastor, nisi, maxime, pares
edictis, veniet subito poscetque talenti
usuram tenebris mergique iubebit Averni.
Quid te, Sauromatum ductor, veneranda parentis
progenies, memorem? Sub cuius Vistula degit 100
legibus et pigro regio subiecta Booti
astrictumque aequor glacie fluviique rigentes.
Diverso premeris bello: Te Thracia tellus
Colchorumque petit Phasis duplicesque pharetrae
et tua collucent hostili moenia flamma, 105
dilacerantur opes, quatit altos machina muros,
infelix rapitur vulgus iuvenesque senesque
et mixtae maribus tolerant infanda puellae.
Cum stabulis pereunt armenta habitata virisque,
rura tenent ursi sterilis fortassis et olim 110
terra cadaveribus nostris fit pinguis. Amaras
praetereo matrum lacrimas pavidaeque sororis
insolitos fletus et questum coniugis orbae.
Haec si spectamus pietas et pectora nostra
nulla movet, non nos proavo dignissima proles, 115
non Cazymirus genuit, sed belua Lernae,
Caucaseae et tigres admorunt ubera; ferro
cingere quin potius delectisque undique turmis
in rabidas consurge feras populumque, reliquit

94 divitiis **bil** diviciis **p** **95** Floraeque **pib** ac Florae **l** **100** Vistula **pil** Fistula **b** **101** Booti **ibl** Boeti **p** **103** Thracia **bil** Tracia **p** **106** altos **pil** altas **b** **111** fit **bil** sit **p** **112** lacrimas: lachrimas **p** lachrymas **ib** lacrymas **l** **116** non **pil** quam **b** **118** turmis **pil** turnis **b**

104 Colchorum Phasis: cf. Lucan. 3, 271 **105** collucent...flamma: cf. Sen. dial. 1, 2, 1 (2, 48) **106** dilacerantur opes: cf. Ov. Her. 1, 90 machina muros: cf. Verg. Aen. 2, 237 **109** cum...armenta: cf. Verg. Aen. 2, 499; georg. 1, 483 habitata virisque: cf. Ov. met. 13, 430 **116** belua Lernae: cf. 36, 1; Verg. Aen. 6, 287; Mart. 5, 65, 13 **117** Caucaseae...ubera: cf. Verg. Aen. 4, 367; Sil. 15, 81

quem fortuna tibi, properantibus eripe fatis, 120
eripe venturae cladi vitaeque decoram
non dubita turpi mortem praeponere. Quo nunc
provehor? Extremis an te, rex clare, manentem
finibus Europae aggredior, qui litora lati
perlustras mundi canumque inquiris Atlanta 125
navibus et fontes occultos hactenus amnis
Isiaci gentesque vagas et monstra nec ipsis
nota satis Libyae cultoribus antraque torvae
Gorgonis et quicquid terrae declinat in axem
devexum? Sed quid vigilem novisse Draconem 130
Hesperidum prodest nostroque incognita mundo
sidera arenivago nec forsan visa Catoni
et quaecumque iacent Zonae vicina perustae?
Hostis ab Armeniae populis et gurgite Medo
cum veniat Calabrosque premat Siculumque Pelorum 135
et trepidet Sardous ager pelagusque cruore
Romano Tyrioque rubens; an scilicet ignis,
quod procul est, paries necdum tibi proximus ardet ?
Scrutari peregrina libet vulpesque marinas
quaerere et aequoream Thetidem placidaeque quieti 140
et genio indulgere domi? Sic Graecia certe,
sic Pelopis periere urbes, incendia vires
dum capiunt serpitque lues crescensque venenum
spernitur. O quanto melius proscindere fluctus
esset Phrixeos celerique obsistere regis 145
classe sagittiferi gladiis inimicaque flammis
urere tecta tuis Asiaeque a Marte vacanti
Hesperias inferre faces oppressaque vinclis

124 aggrediar **b** aggredior **pil** **125** Atlanta **bil** Atlantha **p** **145** Phrixeos **p** Phryxaeos **ib** Phryxeos **l** **147** vacanti **i** vacante **pbl**

120 eripe fatis: cf. Verg. Aen. 10, 624 **127** gentesque vagas: cf. Lucan. 8, 812 **130** vigilem Draconem: cf. Manil. 3, 11 **132** arenivago: cf. Lucan. 9, 941 **133** Zonae...perustae: cf. Lucan. 9, 314 **136** Sardous ager: cf. Mant. cal. 1, 1192 **138** paries...ardet: cf. Hor. epist. 1, 18, 84 **142** incendia vires: cf. Ov. met. 15, 350 **147** urere tecta: cf. Ov. trist. 2, 267

corpora barbaricis maternis reddere tectis?
Sed nunc sermo mihi tecum est, urbs aemula regum 150
imperio, domitrix pelagi, cui Gnosia tellus
et lasciva Cypros paret regnataque quondam
Alcinoo Corcyra seni, cui Dalmata servit
et gentes Henetum, mediis elapsus Achivis
quas olim Antenor deduxit in intima ponti 155
Adriaci. Veteres animos nunc sume, Canopus
quos dudum et Syriae populi Genuaeque potentis
horrebant proceres miserumque ulciscere casum
Chalcidis Euboicae Naupactoasque ruinas
cladibus et variis non concessura Sagunto 160
moenia. Cur laceras differs tirone cohortes
explere in classem? Quercus nigraeque cupressi
cur non procumbunt? Hostem belloque togaque
expertum quare pateris diffundere virus,
regna Liburnorum populari, instare sibique 165
spondere Italiae sceptrum? Deprome latentes
thesauros, deprome aurum tantique putetur
libertatis amor. Quid enim per saxa, per ignes
divitias cumulare iuvat, lustrare profundi
abdita et undisonam velis transcendere Calpen 170
et pipere et palmis et Serum vellere et Indis
mercibus et pictis naves onerare tapetis,
pro foribus si castra tuis impune vagantur
barbara, si toto convectae oriente columnae

154 Henetum **ib** Enetum **l** enetum **p** **155** Antenor **bil** Anthenor **p** **159** Chalcidis **l** Chalcydis **i** Calchydis **b** Calcidis **p** Naupactoas: Naupactaeas **ibl** naupacteas **p** **160** Sagunto **pil** Saguntho **b** **161** tirone **pl** tyrone **ib** **162 – 3** quercus...procumbunt *om.* **b** **169** divitias **bil** divicias **p**

149 mediis...Achivis: cf. Verg. Aen. 1, 241 **151** Gnosia tellus: cf. Verg. Aen. 6, 23 **153** Alcinoo...seni: cf. Mant. cal. 1, 603 **154** mediis...Achivis: cf. Verg. Aen. 1, 242 **156** veteres...sume: cf. Sen. Tro. 506 **161** tirone cohortes: cf. Lucan. 1, 305 **165** regna Liburnorum: cf. Verg. Aen. 1, 244 **168** per...ignes: cf. Hor. epist. 1, 1, 46 **171** pipere et palmis: cf. Pers. 6, 39 **172** pictis tapetis: cf. Verg. Aen. 7, 277

aurataeque trabes et templa minantia caelo 175
lucraque tot curis tanto et quaesita labore
infandi fortasse ducis sunt praeda futura,
denique si Venetum multos dominata per annos
urbs subitura iugum est? Procul hoc avertite divi
omen et in tenues abeant praesagia ventos 180
nostra. Tuum restat nomen, regumque ducumque
optime quemque sua solum pateretur in urbe
Cecropius regnare Plato, cui colla Catones
curvassent cuiusque horreret sanguine Brutus
Tarpeios maculare focos, septemplicis Istri 185
rector et Albigenae populi, tandem excute somnos
quantaque nos maneant discrimina, respice. Sumis
ni gladios et bella cies gentisque superbae
compescis rabiem, Phrygios iam possidet agros
et Simoentis aquas et prisco nobile casu 190
Ilium et obliquo sinuantem flumine campos
Maeandrum Cilicasque vagos populosque Caystri
atque Propontiacas spectantem Cyzicon undas,
quaque fretum sulcat flavis Pactolus arenis,
et iuga candentis Tauri flammasque Chimaeram 195
spirantem et quicquid regi Pompeius ademit
ter victo, Graias etiam transgressus in oras
puppibus invasit diri Polymnestoris arces
et tumulum, Polydore, tuum fortesque Triballos
et Macedum, gemini quos regis gloria caelo 200

175 minantia **bil** minancia **p** **183** Catones **bil** Cathones **p** **185** Istri **i** Histri **bl** histri **p** **187** quantaque **bil** quanta **p** *in exemplari Bibliothecae musei Pragensis ms. corr.* nos **pbl** vos **i** **192** populosque **p** populumque **bil** **193** Cyzicon **i** Cizycon **b** Ciricon **pl** **197** etiam **bil** eciam **p**

175 aurataeque trabes: cf. Lygd. Tib. 3, 3, 16 minantia caelo: cf. Sil. 4, 2 **177** infandi ducis: cf. Stat. Theb. 3, 96 **178** multos...annos: cf. Verg. Aen. 2, 363 **179** avertite divi: cf. Sil. 9, 55 **185** Tarpeios focos: cf. Ov. Pont. 4, 8, 42 **188** bella cies: cf. Verg. Aen. 1, 541 Stat. Theb. 11, 348 **190** Simoentis aquas: cf. Lucan. 9, 962 **192** Cilicasque vagos: cf. Lucan. 1, 336 **193** Propontiacas...Cyzicon: cf. Ov. trist. 1, 10, 29

aequavit, fines, armarat quicquid Atrides
in Troiam, quicquid gelida a Maeotide mundi
tenditur Epirum versus; iam claustra Latinae
gentis et Ausonias Mahometica lancea portas
pulsat et Alpinas penetrant iam barbara fauces 205
tela nec Arctous tanti discriminis expers
Rhenus aquas pelago miscet. Quid proxima dicam
et sceptris subiecta tuis? Qua nuper arabant
millia multa hominum terram Bacchique feraces
falce putabantur colles, vestigia cultus 210
humani vix ulla patent, periere ruinae
tantarum et domuum. Nullos fortuna reliquit,
caesorum deflere hominum qui funera possent
captivasque nurus et quae victoris iniqui
ira iubet turpisque Venus. Succurre tuorum 215
aerumnis ensesque pios molire cruentam
in pecudem. Iaciunt in te sua lumina gentes,
in te reliquiae hostiles, miserabile vulgus,
in te tota cohors Christi inclinata recumbit.
Te populus bello non dedignandus Amyclis 220
nec studio et Musis doctis spernendus Athenis,
te pastor Latius, te rubro turba galero
inclita, te Rhodanus regesque leguntur Iberi
nec Germana tibi conanti pulchra iuventus
nec fratris deerit pietas, commune periclum 225
quem tibi coniungit virtus materque paterque
et regalis apex linguae et commercia; dura

201 quicquid **il** quidquid **pb** **202** quicquid **bil** quidquid **p** **211** nec **ib** hec **p** haec **l** **213** funera **bil** funere **p** *in exemplari Bibliothecae musei Pragensis ms. corr.* **222** Latius **bil** Lacius **p** **223** sequntur **pbl** leguntur **i** Iberi **i** Hiberi

204 – 205 lancea...pulsat: cf. Sil. 17, 196 **206** tanti...expers: cf. Lucan. 5, 194 **210 – 211** vestigia...humani: cf. Auson. Mos. 6 **211** periere ruinae: cf. Lucan. 9, 966 **212** fortuna reliquit: cf. Lucan. 9, 269 **214** victoris iniqui: cf. Lucan. 7, 40; 9, 139 **218** miserabile vulgus: cf. 60, 5; 199, 45; Lucan. 6, 109 **219** in...recumbit: cf. Verg. Aen. 12, 59 **225** commune periclum: cf. Verg. Aen. 2, 709

quin etiam si qui procerum cervice tenentem
arma observabunt studiosius oraque claudes
omnibus et dubiae cessabunt murmura plebis 230
et tanti motus animorum, stulta cupido
quos mutandi agitat praesentia. Principe tandem
ni dignam assumis mentem nec pacis inani
spe capiare, precor. Vires formidat et arma
regis Achaemenii Parthosque in terga ruentes 235
Assyriasque cupit primum sibi iungere Carras
foedere, quo demum belli securus Eoi
tutius in nostros erumpat perfidus agros.
Interea solitis ludit tecum artibus, ergo
dum tibi sunt vires, dum tot comitantur euntem 240
agmina, dum tota Europe conspirat in hostem,
arripe tela manu, ferratus pendeat ensis
ex humero, niteat radianti casside vertex,
aggredere obscenam stirpem veterumque malorum
te duce persolvat poenam, quae sanguine nostro 245
saepe Dei delubra et sacras imbuit aedes.
Lusimus haec magno carmen dictante dolore,
dum libet Aoniis torpentia pectora regum
in Turcas excire modis fideique Tonantis
legibus oppressum Scythicis coniungere mundum. 250

228 quin etiam **bil** quineciam **p** procerum **pbl** proceres **i** **232** praesentia **bil** presencia **p** **233** nec **pil** ne **b** **234** capiare **il** capiere **pb** formidat **ibl** formidet **p** **235** Achaemenii **bl** Achimenii **ip** **238** tutius **bil** tucius **p** **248** torpentia **bil** torpencia **p** **249** Turcas **bil** Turchas **p**

230 murmura plebis: cf. Stat. Theb. 1, 168-9 **235** in...ruentes: Sil. 10, 191 **237** belli Eoi: cf. Stat. Theb. 7, 565 **240** comitantur euntem: cf. 6, 3; 312, 1; 338, 1; Claud. rapt. Pros. 2, 55 **243** casside vertex: cf. Ov. met. 13, 107 **249 – 250** Aoniis modis: cf. Stat. silv. 5, 3, 102

69

(De Vienna Austriae)

Pieridum studiis, Baccho Siculaque parente
praestat in Arctoo clara Vienna solo.

70

(In effigiem reginae)

Eloquio polles tanto regina Beatrix?
Vivis in Antiparo marmore? Dic aliquid!
Diva tacet, quoniam vocales fingere vultus
ars hominis non est, sed fuit ista Iovis.

71

(In idem compendium magnifici Bohuslai Bohemi de Hassenstein Distichon)

Quid loca, quod mores Scythiae gentesque situsque
tectaque Hyperborea noscimus arva nive,
praestitit iam nobis Nicolaus Sarmata, cuius
cura nec extremis abstinet a populis.

72

(Ad regem Wladislaum)

Turcarum veniunt acies cunctisque minantur
Christigenis et tu, Wladisilae, taces.
Iam trepidant Alpes diris et Vistula cedit
hostibus et torvo dat sua terga duci.
An tandem expectas, frater succumbat ut armis
illius et Venetum corruat imperium?

71. 2 nive: nives **N k** **72.** 2 Vladisilae **Ki** 3 diris i dyris **K**

Ah, quanto melius vicinam extinguere flammam
vicinumque foret nunc prohibere malum.
Sauromatum certe populos si conteret ensis
barbaricus, pariter, Wladisilae, cades. 10

73

(De Conrado Celte)

Maeonides Graio, Latio Maro carmine praestat,
Iessaeae soboli tertia palma datur.
Conradus Celtes cantu praesignis Hebraeo est,
praesignis Graio Romuleoque simul.

74

(De Valentino Mezrzitzeno)

Mensurant alii terras pontique profunda,
astra Valentinus stelligerumque polum.
Nec secus ac terris praecellunt sidera caeli,
doctrina hic alios vincit et ingenio.

75

(Ad Valentinum de Mezritz)

Qualia Trinacria legit Proserpina valle
ocima Tartareos mox aditura Lares,
qualibus Hermione texebat pulchra coronas
cingebatque suum Deidamia caput,
talia donasti nobis; viridantia mitti 5
ingenio a viridi munera nempe decet.

10 Vladisilae **Ki**

6 corruat imperium: cf. Val. Max. 1, 3, 2, 17 (165, 198)

74. 1 pontique profunda: cf. Lucr. 5, 417

76

(De equo Sigismundi Kurzbach, dicto Glowka)

Gloria cornipedum, soboles Priameia cuius
non frustra auxilio magni certasset Achilli
Dardana nec Turnus certasset proelia! Quanto,
aspice nam, flatu propellit flamina, quales
emittunt oculi flammas, ut colla iubaeque, 5
ut fortes armi quadrant! Ut crura pedesque,
ut glomerat gressus! Ut fertur in aera saltu!
Talis Amyclaeas quondam mordebat habenas
Cyllarus et Macedum praebebat terga tyranno
Bucephalus, talis, volucres si dempseris alas, 10
Pegasus Aonii patefecit verticis undam,
talis Iulaeum vincentem rura Lemanni
ductorem vexit sonipes. Succumbit Arion
quaerit et, an rursum tellus percussa tridente
hunc genuit. Nec fata tibi, Kurczbachia proles, 15
Seiani timeantur equi, felicior illo est
Glowka tuus; nec, si recreabis corpora somno,
Tydiden metues - is te per tela, per hostes
per mediosque feret gladios cunctisque periclis
ereptum patriae tectis et rure locabit. 20

77

(Praeconium divae Virginis)

Flammiferi quae sceptra poli moderaris et omne,

76. *in tit.* Glowka: Govvka i **15** Kurzbachia: Kurzbrachia i

3 Dardana proelia: cf. Sil. 5, 291 **7** glomerat gressus: cf. Verg. georg. 3, 117 aera saltu: cf. Stat. Theb. 6, 385 **8** Amyclaeas habenas: cf. Stat. Theb. 6, 329 **8-9** Amyclaeas...Cyllarus: cf. Verg. georg. 3, 89-90 **10** volucres alas: cf. Stat. Theb. 5, 690 **14** tellus...tridente: cf. Verg. georg. 1, 1, 3 **16** Seiani equi: cf. Gell. 3, 12, 8 **18** per tela per hostes: cf. Verg. Aen. 2, 358; 2, 527; Sil. 4, 459

quod tellus, quod pontus habet, veneranda Tonantis
mater, ave, quae celsa colis fastigia caeli,
angelicis praelata choris, quae lumine solem
perpetuo privare potes vitreique profundi 5
spumiferas siccare undas, cui sidera parent,
cui iuga ceu valles tribuit frenare virentes
filius et quicquid convexo clauditur orbe.
Ad te confugio, nec enim spes altera restat
tot circumfuso terrae pelagique periclis, 10
quam tu, sancta parens, stellati splendor Olympi.
O decus astrorum gemina quoque clarius Arcto,
ostendis portum miseris, succurre ruenti
in praeceps animique nefas et nubila deme.
Mille mihi nectit laqueos et retia mille 15
infelix satanas, vanos proponit honores,
ingerit invidiam, Pactoli spondet arenas,
pestifera Veneris ludit face, concitat ira
pectus et ingenium caecat caligine. Sed tu
confer opem, quod sola potes, Stygiaeque paludi 20
eripe me miserum, genitrix, precor, eripe morti
ad te tendentem duplices, sanctissima, palmas
vixque procelloso iactantem bracchia ponto.
Iam satis annorum confecimus et tamen alto
volvimur in scelerum caeno vitaeque futurae 25
vix spes ulla patet tot perturbantibus euris,
tot zephyris mentem (quid enim manifesta puderet

77. 2 veneranda Tonantis **i** Tonantis **G** **7** ceu **i** cui **G** **8** quicquid **i** quidquid **G** **12** gemina **i** gemma **G** **16** satanas: sathanas **G** Satanas **i** **23** procelloso **i** procello **G** bracchia: brachia **Gi** **25** caeno **i** ceno **G** **27** puderet **G** puderes **i**

3 fastigia caeli: cf. Manil. 2, 795; 2, 881; 3, 506 **6** cui...parent: cf. Verg. Aen. 10, 176; Stat. Achil. 1, 619 **8** clauditur orbe: cf. Manil. 2, 273 **9** ad...confugio: cf. Verg. Aen. 1, 666 nec...restat: cf. Ov. fast. 3, 625 **11** sancta parens: cf. Claud. rapt. Pros. 3, 115 **12** decus astrorum: cf. Verg. Aen. 9, 405 **13** succurre ruenti: cf. Claud. 20, 592; 5, 94 **16** vanos honores: cf. Sen. Phaed. 491 **18** concitat ira: cf. Homer 943 **21** eripe morti: cf. Verg. Aen. 12, 157 **22** tendentem...palmas: cf. Verg. Aen. 1, 93

dicere te coram?). Cras forsan finiet annos
mors violenta meos et saevi rector Averni
plasma Dei rapiet, siquidem conferre recusas 30
auxilium pereunti animae. Non spinea certe
serta dedi Domino, sacra non arbore corpus
distendi. Memorare, precor, quid signa per orbem,
quid delubra velint, operum monumenta tuorum,
quid positae passim cerae pictaeque tabellae, 35
quid linguae vocesque hominum, quos saepe tenebris
eripis et Laribus caeli post funera donas.
Et nunc ergo fave dirumque e corde venenum
exime Tartareaeque, precor, conamina gentis
frange nec in tanto iactari turbine rerum 40
me famulum patiare tuum, qui supplice vultu
te veneror precibusque piis. Tu mente labantem
dirige, tu dubium stabili me robore firma,
pande salutiferum, superi quod in atria Regis
ducit, iter faecesque animi caelestibus undis 45
sidereoque lava post tot discrimina vitae
nectare, quippe meae vires mea spesque salusque,
consilium, requies in te, sacra Virgo, recumbit.
Tunc ego plura tuas, si quid mea Musa valebit,
si quid et ingenium, perhibentia carmina laudes 50
conficiam laetus Mariamque ad sidera cantu
mortali tollam nec me meminisse pigebit,
dum mihi vita comes, meritorum, Diva, tuorum.

41 supplice i supplici **G** **42** precibusque piis. Tu mente labantem **G** precibus quoque tu miserata labantem **i** **48** recumbit **G** recumbunt **i** **49** ego **i** ergo **G** **51** sidera: sydera **Gi** **53** mihi **i** michi **G** Diva tuorum **i** tuorum **G**

29 rector Averni: cf. 390, 3; Stat. Theb. 4, 457 mors violenta: cf. 55, 74; 335, 10; 492, 6 **38** dirum venenum: cf. Mart. Cap. 2, 126 **39** conamina gentis: cf. Sil. 3, 571 **41** supplice vultu: cf. Claud. 1, 21, 212 **42 – 43** tu...firma: cf. Lucan. 2, 244 – 245 **45** caelestibus undis: cf. Ov. met. 11, 519 **51** sidera cantu: cf. Sil. 8, 592 **52** nec...pigebit: cf. Verg. Aen. 4, 335

78

(Ad lectorem)

Blattae ne careant et tineae cibo,
Orbem dum zephyri flamina verrerent,
Haec laudi Mariae carmina condidi,
Ut tutum Stygiis praestet ab hostibus,
Semper qui misero perniciem parant, 5
Lactantes variis ad scelus artibus.
At tu pelle procul, pellere quae potes,
Virgo, quicquid habent pectora noxii.
Salva me, sine qua nulla datur salus. Amen.

79

In thermas Caroli IV.

Fons, Heliconiadum merito celebrande cohorti,
unde tibi latices calidi venaeve meantis
sulphuris aut vivae - dictu mirabile - calcis?
Per terras Siculamne ignis qui provocat Aetnam
id facit? An Stygii forsan vicinia Ditis 5
has tepefecit aquas? Baiarum litora cedant
atque Antenoreum prospectans unda Timavum
et quae caeruleo consurgit proxima Rheno,
nobilitata tuo, sanctissime Carole regum,
interitu. Quantas emittit in aera bullas! 10
Aspice, quam varie lapides et marmora pingit,
per quaecumque fluit! Vix ipsa coloribus Iris
collucet totidem. Felix per saecula mana,

78. 9 *om.* i

79. **2** latices calidi **i** calidi latices **e** meantis **i** meantes **e** **4** Siculamne **i** Syculamne **e** **8** caeruleo **i** coeruleo **e** **13** felix **i** foelix **e**

3 vivae calcis: cf. Plin. nat. 31, 57

fons sacer, humano generique salutifer esto!
Redde seni validas vires pavidaeque puellae 15
formosam confer faciem morbisque medere
omnibus et patrias accedat laetior oras,
quisquis in hac lympha fragiles immerserit artus.

80

(In opus iussu regis Wladislai factum)

Praemia ne iusto desint, ne poena nocenti,
conditus hic legum est iustitiaeque locus.
Rex Wladislaus patriae flectebat habenas,
nobile quo fieri hoc tempore iussit opus.

81

(Ad regem Wladislaum)

Patria cur adeo regitur feliciter? An quod
Sslechta in consilio, Wladisilae, tuo est?

82

(Ad Hieronymum Balbum elegia)

Balbe, Theramnaeo non concessure Lycurgo,
maxima Castalii gloria, Balbe, lacus,
quid tibi cum populo, gelidus quem circuit Albis,
et cum caeruleo quid tibi Danubio?
Scilicet Etruscas valles et Romula Tempe 5
deseris et magnae litora Parthenopes

80. 3 flectebat habenas: cf. Claud. 2 praef., 19, 1

82. 1 Theramnaeo: Teramneo **ivB** Lycurgo **iv** Ligurgo **B** **6** litora: littora **viB**

1 non concessure: cf. Sil. 17, 651 **2** Castalii lacus: cf. Stat. Theb. 8, 175-6

Arctoasque hiemes aeternaque frigora quaeris
 et iuvat in nostra vivere barbaria.
Num tandem hic aliquis Musis accommodat aures
 plaudit et ingenio carminibusque tuis 10
sentit et aequantem violenta tonitrua linguam
 mirandum et Pylio Dulichioque sonum?
Tolle Augustinum, Sslechtam Sslechtaeque sodales
 doctiloqui et silvis fluminibusque canes.
Pulsus ad extremos lacrimosa voce Tomitas 15
 exilium deflet Naso poeta suum.
Tu loca sponte colis Dircaeae ignara cohortis
 atque Tomitano barbariora solo.
An veluti Niobes coniunx et Thracius Orpheus
 mulcebis fidibus saxa ferasque tuis? 20
Durius at saxis nostrum est genus ipsaque semper
 Phoebeam impediet Martia turba lyram.
Nam quanquam potuit mores et corda ferocis
 Italiae Samius composuisse senex,
attamen e doctis rediens Anacharsis Athenis 25
 non potuit Scythicam flectere duritiem.
An quia continuo lapides tenuantur ab usu
 continuoque perit vomer aduncus agro,
sic tuus Albigenas duratos ore Medusae
 molliet in carnem restituetque labor? 30
Id si praestiteris, pecudes volitasse putabo
 et credam lepori terga dedisse canem.
Ipse sub hoc certe caelo prognatus et unda
 cui patriae toties immaduere manus,
arva Phalanthei tecum peragrare Tarenti 35

8 barbarie **v** barbaria **iB** **14** *om.* et **v** **15** lacrimosa **B** lachrymosa **i** lachrimosa **v** **19** Thracius **iv** Tracius **B** **26** duritiem: duriciem **viB** **30** carnem **iB** carmen **v** **34** patriae **iv** patria **B** toties **iv** tociens **B**

9 accomodat aures: cf. Homer 642; Claud. 15, 426 **20** saxa ferasque: cf. Ov. ars 3, 321 **22** Martia turba: cf. Mart. 1, 3, 4 **28** vomer aduncus: cf. 1, 474 *et passim* **32** lepori...canem: cf. Ov. ars 1, 272

Hesperiae et mallem moenia pulchra tuae.
Sed quare haec animum torquent praesagia meque
venturis prohibent fidere temporibus?
Si ratio potuit Libycos frenare leones
indere et Hyrcanis vincula dura feris, 40
sanguine Cinyphii si adamas mollescit ab hirci,
indomiti subeunt si iuga panda boves,
et tua mutabit nostrum sapientia vulgus
Parrhasio pellet barbariemque Lare.
Quin etiam Aonium si fallet opinio vatem 45
et tua vota noti per freta vasta ferent,
non tamen est animus rectis illudere coeptis
aut tibi propterea dicere, Balbe, diem.
Sed veluti medicus, quanquam non profuit aegro,
solo conatu saepe placere solet, 50
sic ego Balbaeum studium curasque probabo,
quanquam a proposito destituere tuo.

83

(Ad Balbum)

Vergilius culicem, ranas celebravit Homerus,
ipse Bohuslaum, Balbe poeta, canis.
Nec tamen aut tumulus culicis nec turba coaxans,
sed cum Vergilio nomen Homerus habet.
Balbus item nobis mersis caligine vivet 5
doctrinaeque feret praemia digna suae.

36 pulchra **iv** pulcra **B** **39** Libycos **i** Lybicos **vB** frenare **Bv** mutare **i** **50** supe *def. typ.* **v** **51** curasque **iB** moresque **v**

39 frenare leones: cf. Manil. 5, 701 **41** Cinyphei hirci: cf. Verg. georg. 3, 312 **42** iuga...boves: Ov. am. 1, 13, 16

84

(Ad Ioannem Sslechtam)

Quod nostros habitant Pallas Phoebusque penates,
magnus Aristoteles Cecropiusque Plato
et cum Fabricio Brutus sanctique Catones,
legifer Actaeus, legifer Oebalius,
debemus Balbo, qui mores, carmina, linguam
Albigenas primus detulit ad populos.

85

(Ad Balbum)

Cultorem nemorum, cultorem dicis agrorum;
cultor sum nemorum, Balbe, sed haud scelerum.
Nec mirum est odisse nemus, cui, quicquid amici
donarunt homines, abstulerant nemora.

86

(In eundem)

Plinius Aonidum fontes Phoebumque colebat,
saetigero tamen is rete tetendit apro.
Quaeque colit nemorum latebras cervosque fugaces
insequitur, Phoebi est, casta Diana, soror.

87

(Ad Hieronymum Balbum)

Impius esse tibi videor nimiumque protervus,
audeo quod patriae carpere barbariem.

86. 3 cervosque fugaces: cf. Nemes. cyn. 306

At mihi non auro, sed vita carior ipsa est
  patria nec Balbo sum pietate minor.
Interdum medici sed ferro vulnera sanant 5
  praestat et aegroto sucus amarus opem.
Nos etiam teneras mordaci radere vero
  auriculas iusti credimus esse viri.
Nec sequimur Balbum, qui nummis retia tendit
  et ficto fictas iactat ab ore manus. 10

88

(In Balbum)

Balbus amat patriam. Quare? Quia munera quaerit,
  certe animo multo plus amat Italiam.

89

(De Balbi canonicatu iocus)

Ecclesiae membrum est Balbus, gaudete Camenae,
  Tartareum membrum scilicet ante fuit.
Censuit is nostras animas cum corpore solvi
  et nullum in caelo censuit esse Deum.
Dicitur et teneris maribus non parcere pulchrae 5
  praeferre et Nemesi Theodamantis Hylam.
Nunc quoque, dum mores hominis vestigo priores,
  ne sanctam, vereor, rideat ecclesiam.
Pelle sub hac agni vereor ne forte lucellum
  hic subitus quaerat religionis amor. 10
Vos Balbi ingenium deducere tramite recto,
  Pierides, vitae conscia turba suae.

87. 7 – 8 teneras...auriculas: cf. Pers. 1, 107

89. 11 tramite recto: cf. Boeth. cons. 1, 7, 23 **12** conscia turba: cf. Ov. fast. 2, 100

90

(Alius de eodem iocus)

Si non concordat soboles Iessaea Thaliae,
si non Maeoniae cum Solomone fides,
si non Hippolytus custodi convenit horti,
ecclesiae Balbus quomodo conveniet?
Attulit is nobis Musas legesque Lycurgi, 5
attulit Ausonium Cecropiumque sophos.
Afferat et, si vis, Pharios Arabumque magistros,
tantum ne mores afferat ille suos.
Barbara gens simus, dum nullum inclinet Amillus
hic novus Idaei discipulusque Iovis. 10
Turba rudis simus geminarumque inscia legum
dum simul et simus nescia turba doli.

91

(De Microcosmo Sslechtae)

Naturam quicumque animae cognoscere quaeris,
perlege Ioannis scripta profunda mei.
Invenies illic Graios ipsumque Platona,
invenies mixtos Christicolis Arabas
quodque diu in tenebris clausum latitansque manebat, 5
totum Sslechtaeo nunc patet ingenio.
Quare pro meritis et tanto munere semper
Ioanni grates, optime lector, habe.

92

(In fodientes metalla)

Cum praestet virtus caelum sedesque beatas,

92. 1 sedesque beatas: cf. Verg. Aen. 6, 639; Sil. 4, 46

cum breve post tempus divitiae pereant,
utquid propter opes scrutamur viscera terrae
virtutis stulti negligimusque decus?

93

(De historia Wlastae per Rodericum Dubravum)

Qualis ab eximio cantata Marone Camilla,
qualis et a Calabro Penthesilea suo,
qualis, quae struxit Babylona Semiramis altam,
talis in hoc legitur strenua Wlasta libro.
Wlasta potens armis et multis clara triumphis, 5
docta truces ferro periugulare viros,
viribus invictis animoque ad bella furenti
feminea gessit fortia facta manu.
Gratia si comptis debetur digna libellis,
Dubravo grates, lector amice, refer. 10

94

(De Roderico Dubravo, legum doctore)

Ut Venerem superat Mavors et gloria belli,
Nasonis superat sic Rodericus opus.
Ille etenim memorat lascivae facta Corinnae,
Dubravo canitur Martia Wlasta meo.

95

(De Ioanne Sslechta)

Ne caelum rueret defesso Atlante, torosos
dicitur Alcides supposuisse umeros.
At te, ne populi pereant, quos alluit Albis,

commemorant iuris supposuisse caput.
Illum caelicolum falso dignantur honore, 5
Ioannem vero sidera clara manent.

96

(Ad Sslechtam)

Divitias quidam cupiunt aut vellera Serum
et cum marmorea gemmea vasa domo,
nobilitas aliis seriesque immensa parentum
et domuisse Padum Danubiumque placet,
robur nonnullis et rarae gratia formae 5
quaeritur et volucrum gloria prima pedum.
At tu compositos mores et pectus honesto
intinctum et sanctum, Sslechta, probas animum.
Scilicet humanas fraudes pertaesa dolosque
olim caelicolas Erigone petiit, 10
at nunc in Sslechtam supera descendit ab arce
extinctum et secum deferet ad superos.

97

(Ad eundem)

Hospitium mihi, Sslechta, deest, succurre iuvaque
effice me domui finitimumque tuae.
Sic tua formosis te cingat amica lacertis
spernat et alterius sollicitata toros.

95. 4 supposuisse caput: cf. Ov. trist. 3, 12, 48

96. 1 vellera Serum: cf. 68, 171; 127, 25-6; 141, 4; 221, 13; 423, 9; Boeth. cons. 2, 5, 8

98

(Ad Ioannem Sslechtam)

Quid faciat Simon, nil ad nos, optime Sslechta,
si tantum Petrus lintea nostra reget.
Hoc duce sidereos invito Simone portus
caelestesque licet promeruisse domos.

99

(In securitatem humanam)

Mortales miseri terras pontumque peragrant
et superi nemo suspicit astra poli.
Ergo cum ponto pariter terrisque peribunt,
nec caelum intrabunt aethereasque domos.

100

(Valedictio serotina)

Sidera iam tacito merguntur in aequore lapsu,
lassatum sopor corpus deponere lecto
suadet. Adeste, quibus mens est requiescere, curas
solvamus nostras suetumque cubile petamus.
At vobis aliis, multo qui fallere Baccho 5
proferre et vario tenebras sermone soletis,
dent vitam superi felicem et cuncta secundent.

(Responsio)

Vos quoque, fessa toro qui semper pectora primi
sternitis, ite, precor, dulces et carpite somnos
incolumesque huius traducite tempora noctis.

98. 2 lintea nostra: cf. 189, 4; 201, 30; 221, 12; Mart. epigr. 104, 1

101

(Salutatio matutina)

Lux haec sit felix, quam lege perenni
  Memnonio Titan protulit Oceano.

(Responsio)

At tibi non lux haec tantum sit fausta, sed annus
  totus et annorum millia multa, precor.

102

(In fratrem religiosum)

Carmina Nasonis laudas cultumque Tibullum
  Lucanusque tibi Vergiliusque placent.
Sed mallem Davidis cantus psalmique placerent
  et Salomoniacae Musa pudica lyrae.
Non bene nempe tuo concordat Naso cucullo 5
  detonsumque odit pulchra Corinna caput.

103

(De Augustino Moravo decretorum doctore)

Hic Augustinus nostrae est splendorque decusque
  priscus erat Libycae gloria barbarie.

102. **2** placent **i** placet **K a** **3** sed mallem **Ka** mallem **i** **4** Salomoniacae **Ka** Solomoniacae **i**

1 cultumque Tibullum: cf. Ov. Am. 1, 15, 28; 3, 1, 66

104

(Ad pontifices)

Praesulibus nostris passim pluit aureus imber
et servare cupis, stulta, pudicitiam?

105

(De Augustino doctore)

Vati Augustino faciles estote, puellae,
quippe nec infirmas deserere ille solet.

106

(In libros Philostrati dono datos)

Hoc me Sslechta meus donavit munere cultor
et Phoebi et verae fidus amicitiae.

107

(In Historiam Gallorum)

Hoc etiam Sslechtae Ioannis munus habemus,
perpetuum nostrae qui decus est patriae.

108

(Distichon in poculo sculptum)

Haec tibi dona, precor, Phoebeae gloria turbae,
Sslechta, Bohuslai sint monumenta tui.

105. 1 vati...puellae: cf. Ov. ars 3, 547

109

(In poculum ebeneum)

Phoebi, Sslechta, decus, decus Minervae,
caro, pocula, munus a sodale,
ad te ex Aethiopum venimus oris.
Testamur patriam nigro colore
grato poscimus excipique vultu.

110

(In Phoebum)

Cur hodie Phoebus non saevit, Sslechta requirit.
Annuit hic votis carminibusque meis.

111

(In Sslechtae morbum)

Integer ut dici non Sslechta per omnia possit,
fortuna infirmum reddidit en pedibus.

112

(In Doctorem Augustinum)

Prodigia haec nobis quid tandem, Sslechta, minantur?
Nam Veneris caluit qui face, febre calet.

112. 2 febre calet: cf. Iuv. 10, 218

113

(Ad Tatianum)

Non mores hominum tranquillam ducere vitam,
sed mores prohibent te, Tatiane, tui.

114

(In Maximilianum regem)

Historiam scribit princeps Romanus, at ipsum
historia melius digna foret facere.

115

(De Ioanne Sslechta)

Frustra Pannonias quod non accessimus oras
et penitus quod non spes mea vana fuit,
id Deus et superi praestant, pia numina caeli,
id Sslechtae virtus ingeniumque facit.

116

(Ad proceres et regem in Rakoss)

Pannonii proceres, turbam fugitote furentem
et male quisque sibi conscius hinc abeat.
Tu quoque ne nimium turbae confide faventi,
optime rex, vulgi lubrica namque fides.

117

(Boemia ad Hungariam sororem)

Redde, soror, regem. Nec enim tibi semper habendum
misimus, ad nostros nostra remitte Lares.

Vincimus in causa tete, inclita iura sororis
 cur, precor, usurpas, ambitiosa, tuae?
Noster erat, postquam coepit contingere ramos, 5
 nos illi dedimus sceptra verenda prius.
Redde, soror, regem. Turbatur patria, dirum
 nescio quid Mavors insolitumque parat.
Utquid depositum tam longo tempore servas?
 Iam pridem certe restituendus erat. 10
Redde, soror, regem. Timeat sic arbiter aulae
 te Byzantiacae barbariesque sua.
Sic te nullius vexet violentia regis,
 nullus Matthias sic tua colla premat.

118

(Comparatio Bohemiae et Pannoniae)

Boemia Pannoniae certat; me iudice dives
 Pannonia est auro, Boemia militibus.
Nobilitas par est utriusque et rustica turba,
 cultior est multo Boemia Pannonia.
Frigidus est Albis nobis, est frigidus Ister 5
 Pannoniae, Praga nec despicienda Budae est.
Nos dedimus Sslechtam, Ianum dedit illa poetam,
 Martia gens nostra est, Martia Pannoniae.
Religio sola est, qua vincimur; integra nempe
 illis, sed nobis mille modis lacera est. 10

117. 3 inclita iura: cf. Sil. 13, 533 **5** contingere ramos: cf. Verg. ecl. 8, 40 **13** violentia regis: cf. Homer 58

118. 3 rustica turba: cf. 240, 8; 247, 18; 482, 1 **8** Martia gens: cf. Stat. Theb. 4, 556

119

(Epigramma ad regem Wladislaum)

Quod populi peccant, ordo quod peccat equester,
quod populus legum vincula nulla timet,
id Wladislai nimia indulgentia praestat,
pro domino patriae qui pater esse cupit.
Sed pater errantem ferula castigat ephebum,
verberibus durum mollit et ingenium.
Tu quoque, quando nocent pietas moresque parentis,
Wladislae, animum sume, precor, domini.

120

(De dialogis a rege Wladislao donatis)

Rex Wladislaus recto moderamine pensat
cuncta nec ingenio est quam probitate minor.
Donat opes cupidis, elatis donat honores,
vatibus at libros, mentem animumque Deo.

121

De libris Georgii Trapezuntii contra Platonem

Codice me regum donavit maximus, alti
dogmata qui lacerat vesano dente Platonis.
Hunc mihi, si saltem non dedignare precantem,
Augustine, velim mitti, quo scire queamus
nos quoque, quanta novi fuerit dementia monstri.

122

(Ad regem Wladislaum)

Cur sis tam iustus, tam prudens tamque modestus,

dum nuper Clarii consulo templa dei.
"Talis avus patruusque fuit materque paterque,
cur Wladislaus degeneraret?" ait.

123

(In regem Wladislaum)

Turbantur proceres populi nec ferre quietem
iam possunt procul et Wladisilaus abit.
Scilicet ignorat membris languentibus ipsum
vix unquam firmum posse manere caput.

124

(Ad eundem)

Cunctando Fabius, vincendo Scipio tutum
Romuleum quondam reddiderant populum.
Te cunctante simul vincenteque patria tuta est,
tantum consilio, Wladisilae, potes.

125

(Ad Ioannem Sslechtam)

Salvus ad hos nostros venisti, Sslechta, penates
et libuit modicos nobilitare Lares.
Laetamur, nec enim magnus conviva Molorcho
Alcinooque Ithacus gratior hospes erat.
Hunc faustum signare diem meliore lapillo
nos certe et memori condere mente decet.

122. 2 Clarii dei: cf. Flacc. Arg. 3, 299

123. 3 membris languentibus: cf. Sen. clem. 1, 5, 1, 5, 217

125. 5 meliore lapillo: cf. Pers. 2, 1

At tu fac peragas hanc laeto pectore lucem,
ne pereant nobis gaudia nostra, precor.

126

(Ad eundem de dono)

Pierii fontis lumen, quo vate superbit
Albis et Ausonium provocat Eridanum,
accipe mnemosynon dilecti, Sslechta, sodalis,
accipe sincerae pignus amicitiae.
Nec, quia parva damus parvi, nos despice, dantis 5
sed metire animo munera nostra, precor.
Dent alii Scythicas pelles Pariasque columnas,
dent aurum et Tyria vellera tincta manu.
Nos cithara insignem Phoebum Musasque canoras
et iunctam ferimus Pallada Mercurio. 10
Argumento operis cupimus tibi nempe placere
et vati vatum numina magna damus.
Quod si ruricolae donato vomere gaudent,
si venatorem retia missa iuvant,
placantur superi modico si turis honore, 15
tu quoque, Ioannes, consule, quaeso, boni.

127

(Bohuslaus ex persona Wladislai regis ad Petrum poetam Hispanum)

Quae mihi misisti, vates doctissime, nuper
carmina, mire animo grata fuere meo.
Digna quidem Phoebi tripode et Parnassidos undis
atque lacu tetrici Bellerophontis erant.
Qualiter et magni cantu celebratur Homeri 5

126. 5 quia...damus: cf. Prop. 1, 18, 17 **15** turis honore: cf. Ov. met. 14, 130; trist. 2, 76

cum Laertiade Penelopea suo,
non aliter cara cum coniuge sidera caeli
tangimus ingenio, maxime Petre, tuo.
Eripis e tenebris ambos turbaeque nepotum
cognita venturae nomina nostra facis.
Frenamus populos Istri frenamus et, ambit
caeruleis quicquid frigidus Albis aquis.
Multae nos gentes metuunt regemque salutant,
multi nos homines sceptraque nostra colunt.
Sunt mihi divitiae, sunt auri plura talenta,
sunt vestes Tyriae marmoreaeque domus.
Plus tamen hac docti gaudemus voce poetae
materiam et tantis nos dare carminibus.
Et libet et nequeo meritas persolvere grates
conferre et studiis praemia digna tuis.
Immortale quidem est, quod das, mortalia nostra
et post exiguos interitura dies.
Ecce tamen munus donamus, cultor Eous
lanigerum fertur quo spoliasse nemus.
Tolle, inquam, donum hoc, sed fato dispare: Serum
vellera nam pereunt, carmina docta manent.

128

(De Stanislao Polono)

Quis novus hic hospes? Mavorsne in corpore tectus
humano bellive potens Tritonia virgo
mentibus illudunt nostris? An cuncta domantis
spiritus Alcidae mortalia membra resumpsit,
Pythagoras si vera putat? Num Iuppiter ipse

127. 16 vestes Tyriae: cf. Prop. 3, 14, 27; Tib. 1, 7, 47 **18** materiam dare: cf. Ov. Pont. 4, 8, 71 **19** persolvere grates: cf. Verg. Aen. 1, 600 **25 – 26** Serum vellera: cf. 68, 171; 96, 1; 141, 4; 221, 13; 423, 9; Boeth. cons. 2, 5, 7

128. 1 quis...hospes: cf. Verg. Aen. 4, 10 **4** mortalia membra: cf. Lucr. 3, 778

mentitur speciem? Nec enim sine numine magno
contingunt istae vires istique lacerti:
Sive placet saltu certare, volare videbis
hunc hominem raptim liquidumque per aera ferri
pennigerae exemplo volucris; contendere cursu 10
seu iuvat, intactae segetis per summa feretur
gramina, per pelagi fluctus, nec tinget aristas,
(tanta pedum laus est) tumidi nec caerula ponti;
si lapidem torquere libet, cervice subiret,
quem vix tres lecti, tanto iacit ille rotatu, 15
ut iam lenta nimis Balearica pondera pelli
crediderim. Cedit, Phrygius qua concidit Hector,
dextera, fraxineis quoties concurritur hastis;
Oebalii cedunt fratres, cum ludere caestu
collibuit. Troiae Graecorum marte ruenti 20
da talem, fortuna, virum, succumbet Atrides
scilicet et versis lugebit Graecia fatis,
Sidonii proceres hoc defensore catervas
despicient Latias, ducibus Cadmea resistent
moenia septenis, fugiet quoque Iuppiter alti 25
e regione poli, Titania secula talem
si tulerint Siculis frustraque incudibus ignis
stridebit. Magnum tandem narrare vetustas
Aesoniden, Scythici qui primum claustra profundi
fregit et Aegidae virtutem desinat, aut qui 30
Bellerophonteae praecidit colla Medusae.
Hunc pro Dulichio, Tydide et Nestore cantus
Maeonii celebrent, Aeneae Musa Maronis
praeferat. Huc, missis Pompeii et Caesaris armis,
Corduba flectat ebur, quoniam tum plenior undis 35
fons Heliconis erit Dircaeaque silva virebit

11 intactae...summa: cf. Verg. Aen. 7, 808 **19** Oebalii fratres: cf. Stat. silv. 3, 2, 10 **22** versis...fatis: cf. Verg. Aen. 11, 287 **24-5** Cadmea moenia: cf. Stat. Theb. 12, 635 **27** Siculis incudibus: cf. Lucan. 7, 146 **29** claustra profundi: cf. Sen. Med. 342; Oed. 160 **33** Musa Maronis: cf. Auson. Cup. 1 **36** fons Heliconis: cf. Rut. Namat. 1, 264

largius et ludent doctae ducentque choreas
laetius Aonides, Phoebus quoque tempora lauro
ornabit pectetque comas fibrasque ciebit
pollice festino. Gelidi gaudete Triones 40
laude hominis, quoniam vestra est haec gloria, vestrae
gentis honos, quare semper veneratus ametur
hic Stanislaus, gratam dum Cynthius axe
ducet ab Eoo lucem, dum frigidus Ister
influet Euxinum pelagus, dum decolor Indus 45
accolet extremi paucis nota ostia Gangis.

129

(De Cana Pauli archidecani Budae)

O Cana, Iudaeae lux quondam et gloria terrae,
nunc per Pannonios tu celebraris agros.
Id virtus Pauli praestat, qui munera Bacchi
nobis praelargas exhibuitque dapes.

130

(De eadem ad Sslechtam)

Marmoream Pauli, Ioannes, vidimus aedem,
esse suam qualem casta Diana velit.
Hanc non Cretaei quondam videre parentes
nec statuere suo talia fana Iovi.
Haec Aggrippaeas superant delubra columnas, 5
cedunt Paulino Flavia templa tholo.
Marmoris haud tantum Memphis bustumque Simadis,
aut auri aut verae religionis habent.

40 gelidi Triones: cf. Ov. met. 2, 171 **45** decolor Indus: cf. 255, 1; Prop. 4, 3, 10; Ov. ars 3, 130; trist. 5, 3, 24

130. 6 Flavia templa: cf. Mart. 9, 3, 12; 9, 34, 2 **7** bustumque Simadis: cf. 12, 33

Felices Istri populos, felicia rura
felicemque Budam nomine, Paule, tuo. 10

131

(Ad Paulum)

Nummorum loculos narraris, Paule, tenere,
ast ego, ne nummi te teneant, vereor.
Nempe etiam febrem multi dicuntur habere,
cum febris multo verius hos habeat.

132

(Ad Sslechtam)

Caseus ut nobis primum piscesve nucesve
manduntur, potem Sirmica vina iubes.
Ergo da pisces nobis, da poma nucesque,
Ioannes, saepe ut tam bona vina bibam.

133

(Ad Sslechtam)

Impedior pluvia, ne nostri principis aulam
et fultas adeam marmore, Sslechta, domos.
Nec forsan tanti est, si stillat paenula nimbo,
in patriam vacuos ut referam loculos.

9 felicia rura: cf. Stat. silv. 2, 2, 23

132. 4 tam...vina: cf. 138, 8; 138, 12; Mart. 4, 69, 2

133. 3 stillat...nimbo: cf. Iuv. 5, 79

134

(Ad eundem)

Nubilus est aer, regis frons nubila, vultus
  nubilus est procerum nubilus et populi.
Omnia si tandem sunt nubila, Sslechta, verendum est,
  tempora ne rebus nubila nos maneant.

135

Undique finitimi consurgunt, Sslechta, tumultu
  et premitur semper patria nostra gravi.
Aut igitur patriae linquenda domestica lis est,
  aut magnum nobis imminet exitium.

136

(De austro)

Auster arenosa spirans pluviosus ab ora
  atra procellosis nubila ducit aquis.

137

(De zephyro)

Floriger Hesperidum zephyrus nunc spirat ab ortu
  et tepido canos flamine solvit agros.

135. 4 magnum...exitium: cf. Verg. Aen. 10, 13

137. 2 flamine solvit: cf. Ov. met. 11, 664

138

Ad Sslechtam

Inter Pannonios versamur, Sslechta, Penates.
Si, quae agimus, quaeris, vivimus et bibimus
carminibusque mihi plus Bacchi dona probantur
cornigero et cedit casta Minerva deo;
plusque placet crater quam magni Musa Maronis, 5
plus calices ipso denique Maeonide.
Tu tamen ad flammas tentas adiungere flammam,
utque bibam sitiens Sirmica vina, iubes.
Desine, Sslechta, precor, nos inflammare Lyaeo,
Phoebeo satis est nempe calore premi. 10
Et gelidos fontes malo nemorumque recessus
quam cum marmorea Sirmica vina domo.

139

(Ad regem Wladislaum)

Es clemens, laudo, siquidem clementia reges
et decet et populis conciliare solet.
Sed vereor, nobis ipsisque nepotibus olim
ne noceat virtus haec tua neve tibi.
Turba sumus durae cervicis cunctaque nostro 5
optamus sensu iudicioque geri.
Non Wladislaum ferimus. Dominetur oportet
Matthias, patriam si stabilire velis.

138. 5 Musa Maronis: cf. Auson. Cup. 1, 117 **8** Sirmica vina: cf. 132, 4; 138, 12 **11** nemorumque recessus: cf. Lucan. 5, 125

140

(Ad Ioannem)

Ut quid versiculos a me tam saepe requiris,
tamquam versiculos e triviis rapiam?
Otia Pieridum rector mentemque quietam
et pressum haud alio pondere vult animum.
At nos cornigeri celebramus festa Lyaei
et fugimus curas diluimusque mero
atque ipsos Satyros imitamur et Alphesiboeum
plaudimus et manibus plaudimus et pedibus,
nempe suos arcus non semper tendit Apollo
nec semper Geticus concutit arma deus.
Nos quoque nunc Phoebi cantus citharamque sonantem
Aonidumque procul iussimus ire choros.
Desine nos igitur,distentos nectare curis,
Ioannes, quaeso, sollicitare malis.
Si tamen ad nostras sedes grex ille redibit,
tunc iure a nobis exige versiculos.

141

(Ad eundem)

Si, quod non cuiquam praestes, promittere nostra,
Ioannes, dignum credis amicitia,
en tibi promitto Pactoli divitis undam,
promitto Serum vellera, tura Arabum,
promitto Tyrio madefactas murice lanas,
promitto rubrum quicquid habet pelagus.

140. 3 mentemque quietam: cf. Sil. 8, 160 **4** pressum pondere: cf. Lucan. 7, 162 **5** cornigeri Lyaei: cf. Ov. am. 3, 15, 17 **9** arcus...Apollo: cf. Hor. carm. 2, 10, 20 **15** grex ille: cf. Sil. 7, 58

141. 4 Serum vellera: cf. 68, 171; 96, 1; 127, 25-6; 221, 13; 423, 9; Boeth. cons. 2, 5, 7 **5** Tyrio murice: cf. 1, 10

Reddam te plenum nummis faciamque beatum,
curabo, ut Croesus palleat invidia.
Curabo, ut quicquid calcaveris, id rosa fiat,
purpurei ut reges te cupiant generum. 10
Haec tibi contingent per me, nam tu quoque nobis
sic praestas, quicquid pollicitus fueris.

142

(De Ioanne)

Accidit en monstrum, quod non cognovit Homerus,
dum caneret Troiam Dulichiumque ducem
quodque nec Ausonio memoravit carmine magnus
in ter quinque suis Naso voluminibus.
Nempe sequi dudum solitus mendacia fertur 5
Ioannes verum nunc didicisse loqui.
Haec quid portendant, Tyrrhenae conditor artis,
dicite, quos docuit scire futura Tages.

143

(Ad Ioannem Sslechtam)

En tibi, non qualem mittit Methymna Lyaeum
nec qualem fundunt prela Falerna, damus,
sed qualem patriae generant vineta trionis
et qualem gelidi gignere rura queunt.

9 quicquid...fiat: cf. Pers. 2, 38 **10** purpurei reges: cf. Claud. rapt. Pros. 2, 300

142. 2 Dulichiumque ducem: cf. Ov. met. 14, 226; rem. 272 **7** conditor artis...Tages: cf. Lucan. 1, 636-7

144

(Ad Sslechtam aenigma)

Qui solus Phoebi tripodes et mystica nosti,
solve aenigma breve hoc, maxime Sslechta, precor:
Is pater est et avus nobis eademque creatrix,
quae soror, ipsa sibi coniunx socrusque nurusque est
quique mihi socer est, socer est et prosocer illi 5
sumque mei genitor fratris genuique nepotem
uxori natumque et fratris avunculus exto.

145

(Aliud)

Dicite vos, matres, num vestro sanguine creti
hi pueri pueris quive fuere patres?
Sanguine sunt nostro creti nostrique mariti
sunt illis fratres legitimique patres.

146

(Ad regem Wladislaum)

Bella alios faciunt claros lateque potentes,
te clarum reddit, Wladisilae, toga.
Non gladios acuis non comples milite campos,
non fera belligera concutis arma manu;
regna tamen sceptro firmas populosque feroces 5
et parent hominum millia multa tibi.
Nec satis est Istri gentes Albimque domare,
sub tua nunc etiam Vistula iura venit.

146. 4 fera...arma: cf. Ov. ars 2, 672 **5** populosque feroces: cf. Verg. Aen. 1, 263; 7, 384

147

In vulpeculam

Cur insigne tibi cervus? *Quia cornua sumpsi,*
obtigit ut primum pontificalis honor.
Cur rota fracta subest cervo? *Quia saepe rotatu*
diverso magnos frangere fata solent.
Id tibi si metuis, cur turbas omnia? *Coepi.* 5
Nec cessare licet? Desine! *Nolo.* Vale.

148

De Georgio Nedeker

Nomen ab invidia te falso ferre, Georgi,
qui dubitat, pariter corde animoque caret.

149

(De doctore Augustino Olomucensi)

Quanta Augustini veteris, qua Bagrada manat,
hic Augustini gloria tanta novi est.
Sed tamen hic noster, genuit quem vitreus Albis,
iudicibus nobis anteferendus erit.
Praestitit ille suis libros, convivia nulla 5
praestitit; iste suis praestat utrumque simul.

147. 1 cornua sumpsi: cf. Ov. trist. 4, 9, 27 **2** pontificalis honor: cf. Ov. fast. 3, 420 **6** cessare licet: cf. Sen. Herc. f. 189

149. 4 iudicibus...erit: cf. Ov. epist. 16, 206

150

In tergiversatores

O genus humanum demens! Mors ostia pulsat
et tamen imperium divitiasque cupit.

151.

De iisdem

Vivendo morior, morientem, nescio, finis
quis maneat; nullas fundo tamen lacrimas.

152

(Ad Ioannem Sslechtam)

Alma Ceres, Musae, Bacchus, Latonia proles,
sunt socii mensae, Sslechta poeta, tuae.

153

(Ad Phoebum et Sslechtam)

Phoebe, tuos rursum radios iacularis et ignes?
Desine, iam recubas Erigones gremio.
Aspice, Sslechta, preces nostras ut sprevit Apollo,
ut minime radios continuitque suos!

150. 1 ostia pulsat: cf. Hor. sat. 1, 1, 10

151. 2 lacrimas: lachrymas **d**

154

Ex Luciano

Omne breve est tempus recte viventibus, at, qui
improbus est, noctem tempora longa putat.

155

(Ad Sslechtam, carmen imperfectum)

Bucina rauca crepat, consurgunt undique bella,
quid faciet vates, maxime Sslechta, tuus?
An positis fidibus, gladio praesignis et hasta,
vulnera multa dabit, vulnera multa feret?
Non bene sed calamo quadrat Mavortius ensis 5
et laedunt teneram cuspis et arma manum.
Consule, Sslechta, precor, paci blandaeque quieti,
consultum vati si cupis esse tuo.
Proelia tentabam patrum camposque rubentes
sanguine et antiquos commemorare duces. 10
Sed revocavit opus pietas tristemque ruinam
compulit et patriae funera flere meae.
Aspirate, dei, si saltem dira canenti
caelicolum fas est sollicitare chorum!
Nempe Thyesteis non concessura Mycenis 15
scribimus et Phoebi pellere digna iubar.
Unde tamen nostri sumam primordia cantus?
Quae primum in tumidum provehet aura fretum?
Scilicet aetherea detrusa superbia sede

154 cf. AG (Luc.) 10, 28 Τοῖσι μὲν εὖ πράττουσιν ἅπας ὁ βίος βραχύς ἐστιν, τοῖς δὲ κακῶς μία νὺξ ἄπλετός ἐστι χρόνος.

155. 1 bucina rauca: cf. Verg. Aen. 11, 474-5 **4** vulnera multa dabit: cf. Ov. ars 1, 262 **11** revocavit opus: cf. Mart. 10, 2, 2 **15** Thyesteis Mycenis: cf. Claud. rapt. Pros. 3, 388 **18** provehet aura: cf. Ov. ars 3, 100

prima mihi carmen materiamque dabit. 20
Haec quondam, dum se vellet praeferre Tonanti,
pulsa est horrisonas ad Phlegethontis aquas.
Aspice sed rursus, quantum ventosa virago
despectat fastu cetera cuncta suo.
...

156

(Ad contubernales in recessu)

Cultores Phoebi castaeque, valete, Minervae,
est animus patrios quippe redire Lares.
Corpus abit longe gelidumque revertit ad Albim,
at mens in vestro est tota sodalicio.
Scilicet in mediis habitare videbar Athenis, 5
inter Socratici nomina magna chori.
Delectant mores, delectant mellea verba,
delectat vestri simplicitas animi.
Tales convivas ausim praeponere Serum,
Lydorum et Rubri divitiis pelagi. 10
Este tamen memores nostri; sic vester Apollo,
sic vos Pierides vestraque Pallas amet.

157

(Ecloga sive Idyllion Budae)

Lycidas.
Dic mihi, Batte, quibus teneros regionibus agnos
paveris? In nostris nec enim te mentibus unquam
vidimus, ut primum raucae cantare cicadae
coeperunt flavaque agri canescere messe,
cogentem simas ad pascua laeta capellas. 5

157. 5 simas...capellas: cf. Verg. ecl. 10, 4

Battus.
O Lycida, gelidi tractum peragravimus Istri
et terram Cereris, Bacchi pecorumque feracem,
moenia qua Scythicis quondam fundata colonis
vitiferos celso prospectant vertice colles
(finitimi dixere Budam). Prolixior anno 10
est mihi visa dies illic aderatque videndae
tantus amor patriae, quantus tibi Phyllidis olim,
cum facibus primis caluisset pectus, adires
et caram Borea caelum turbante puellam.
Lycidas
Et quae causa Budae distantis quaerere sedem, 15
Batte, fuit? Certe sunt hic tibi prata, recessus
sunt nemorum viscoque licet captare volucres
cornigerasque feras laqueis et arundine pisces;
sunt armenta boum permixti et matribus haedi
flumineas carpunt salices mollemque per herbam 20
lanigerae pascuntur oves; sunt tecta, solebat
amplecti niveis ubi te Galatea lacertis.
Battus.
Tityrus est autor nobis externa petendi,
Tityrus egregium nostris pastoribus astrum,
otia cui soli debemus nostra sub umbra, 25
cuius in abruptae pastores devia rupis
scandimus et celeris capreae praecordia conto
figimus - is patriis accitum finibus undas
caerulei potare Savi me iussit amicus
nominis et nostri, semper meditatur, ut alte 30
provehar et laribus melioris collocer agri,
qua gregibus nostris liceat per rura vagari
florenti et cytiso vacuum distendere ventrem

15 quaerere sedem: cf. Manil. 3, 17 **16 - 17** recessus nemorum: cf. Lucan. 5, 125 visco...volucres: cf. 34, 70; 287, 3; 331, 3; Verg. georg. 1, 139 **19** armenta boum: cf. Verg. georg. 2, 515 **21** lanigerae oves: cf. Verg. Aen. 3, 660 **26** abruptae rupis: cf. 456, 6; Lucan. 8, 46 **33** florenti cytiso: cf. Verg. ecl. 1, 78; 2, 64

magnorum insidias nec formidare luporum.
Lycidas.
Si placet ergo, refer nobis, precor, ordine sortem, 35
Batte, tuam; siquidem dum te tenet ultima tellus,
vellere nos istic bis iam nudavimus agnos.
Battus.
Venimus ut primum dictamque intravimus urbem,
Tityrus hospitio excepit fragilique cicuta
donavit, qua saepe suos Meliboeus amores 40
deflevit, dum Nisa homini praeponit Amyntam.
Hanc quoties labris admovit Tityrus, ipsos
vidisses Satyros lusu gaudere procaci
vidissesque choros Dryadum ductare choreas
clunibus et tremulis madidum oblectare Silenum. 45
Hanc rursum si nos inflavimus, omnia muta
torpebant, nostri quamvis me dicere Pana
Arcadicum soleant (tanta est praestantia vatis).
Ille tamen semper nostras laudare Camenas
non dubitat praefertque suis magnoque Menalcae 50
commendat, memorant homines quem aequare Tonantem
divitiis, illos etiam, quos purpura vestit,
is mihi conciliat tam recta mente fideque.
Lycidas.
Hoc est quod dudum nobis memorasse comatum
Damaetam memini, te ditia frugibus arva 55
carminibus meruisse tuis, qua dividit amnis,
nescio quis, populos (nec enim mihi noscere curae
nomen erat) fierique tibi sic gramine multo
pingue pecus, vix ut tumefactum cruribus uber
circumeat multos et iam perisse iuvencos, 60
pabula dum praebent nimium illis larga bubulci.

54 comatum: Comatem i

35 ordine sortem: cf. Ov. fast. 4, 25 **36** tenet ultima tellus: cf. Ov. Pont. 2, 8, 11 **39 – 40** fragili...donavit: cf. Verg. Aen. 5, 85 **46 – 47** omnia...torpebant: Curt. 10, 5, 7 **48** tanta...praestantia: cf. Mart. 46, 1 **52** quos...vestit: cf. Iuv. 11, 155 **55** frugibus arva: cf. Manil. 1, 86; 4, 824 **59** pingue pecus: cf. Hor. sat. 2, 6, 14

Battus.
Audieras rumorque fuit, sed carmina nostra
non plus, quam nebulae, quam vana tonitrua possunt.
In cassum queritur tantos abiisse labores
Tityrus aurati et confert promissa Menalcae 65
commotis austro foliis pelagique quieti,
nempe ubi tuta putat iam nobis omnia, Moeris
nescio quis, pingues illi dum porrigit haedos,
caseolos alii decerptumque ex arbore pomum
parque columbarum repletaque lacte recenti 70
cymbia, boletos montanaque fraga, redegit
in nihilum calamos nostros comitesque Menalcae
flexit in obliquum, dum stulti rustica semper
turba sumus sanctamque magis quam lucra probamus
simplicitatem animi; comites movere Menalcam 75
deinde suum, ut fama est, nam multum credulus esse
dicitur et propriis meliora aliena putare
consiliis; ideo nunc arva habitata parenti
exiguamque casam repeto, qua saepe mamillam
infantes matris carumque momordimus uber. 80
Lycidas.
Ergo mane noster consuetasque incole valles
et dulcem patriam, notos en aspice campos,
ut virides sese tollant super aera silvae
frondibus et densis ut terram fagus opacet,
iucundus modico labens ut murmure rivus 85
alliciat somnos, resonent arbusta susurro
ut volucrum tutoque latus versare genista
ut pecori liceat passim tenerisque capellis.
Hic Galatea tua est, quae te recubante grabato
iam saturas mulgebit oves texetque coronam 90
temporibus fessosque ulnis circumdabit artus.

70 parque columbarum: cf. Ov. met. 13, 833 lacte recenti: cf. Ov. ars 3, 627 **79** exiguam...repeto: cf. Ov. fast. 5, 500 **85** labens murmure: cf. Ov. met. 2, 455; 11, 603 **91** ulnis circumdabit: cf. Stat. silv. 2, 1, 66

Hic tua grata cohors pastorum acceptaque tunc, quum
tangere vix ramos poteras ipsique feremus
dona tibi: Mopsus calamos Thyrsisque canistrum,
pileolum Corydon, qui te defendat ab aestu, 95
nos dabimus sparsum maculis candentibus haedum.
Ergo redite, greges, nostri veteresque latebras
visite silvarum dumetaque carpite dudum
cognita - sic Lycidas censet - peregrina valete
omnia! Non, si iam iubeat vel Tityrus ipse, 100
quae fortuna dedit nobis superique, relinquam.

158

(Epitaphium Alexandri papae)

Cui tranquilla quies odio, cui proelia cordi
 et rixa et caedes seditioque fuit,
mortuus hac recubat populis gaudentibus urna
 pastor Alexander, maxima Roma, tuus.
Vos, Erebi proceres, vos caeli claudite portas 5
 atque animam vestris hanc prohibete locis.
In Styga nam veniens pacem turbabit Averni,
 committet superos, si petat astra poli.

159

(Friderici pontificis Cracoviensis et cardinalis)

Gloria pontificum, rubri lux una galeri,
 aeternus sanctae religionis honor,
rege satus, regum frater proneposque neposque,
 extinctus tumulum hunc en Fridericus habet.
Illius et late regnabat avunculus olim 5
 et patruus Scythici terruit arma ducis.

158. 1 tranquilla quies: cf. Lucan. 1, 250

Parce piis, frater, lacrimis, terrena reliquit
scilicet is, sedes nunc tenet aethereas.

160

(In oppida Bohemica)

Conveniunt passim populi saevumque minantur
atque enses acuunt et fera bella parant.
O stultos, victum vix quaerunt tempore pacis
et tamen insano Martis amore calent.

161

(Ad pontifices)

Vos ego, pontifices, miror servire crumenae,
cum solum virtus conferat astra poli.

162

(In fastum pontificum ac procerum)

Pannoniae haud tantum consumunt Turcica bella,
ut procerum fastus pontificumque simul.

160. 4 Martis amore: cf. Verg. Aen. 7, 550

Disticha in praecipuos barones et iudices Bohemiae

163

De domino Petro a Rosmberg

Hunc omnem coetum, regni qui flectit habenas,
exsuperat Petri nobilitas Rosei.

164

De domino Henrico a Nova Domo

Quae domus Henricum genuit gravitate verendum,
sit nova quantumvis nomine, re vetus est.

165

De domino Leone

Rozmitalaeum secure accede Leonem,
nam plus consilii quam feritatis habet.

166

De domino Alberto Colowratio

Non tantum Albertus gestis est clarus avitis,
quantum consiliis et probitate animi.

167

De domino Putha Risebergio

Putha tuus, Riseberga domus, quid pectore possit
et lingua, novit rex proceresque sui.

163. 1 flectit habenas: cf. Boeth. cons. 4, 6, 34

168

Ad dominum a Pernstayn

Quo praestes, dubito, proles Pernsteynia, forma
corporis an lingua divitiisque magis?

169

In dominum a Sswamberg

Immerito Veneri nivei sacrantur olores,
Pallada, non Venerem, noster olor sequitur.

170

De domino Ioanne Sselebergio

Hic est Ioannes, proles Sseleberga, ruentem
qui toties solus sustinuit patriam.

171

In dominum a Wartemberg

Quanta fuit, Carthago, tui Magonis, apud nos
Vartembergeni gloria tanta viri est.

172

(In dominum de Ronow)

Ronovium iuvenem, claram pulchramque, carentem
sed fundamento dixeris esse domum.

170. 1 – 2 ruentem patriam: cf. Sen. Agam. 612; Oed. 73

173

De domino Georgio Dubsky

Non pinguem, soboles Dubaea, Georgius, alto
ingenio ventrem posse nocere docet.

174

In Ioannem Sslechtam

Ioannis Sslechtae quisquis comprendere laudes
quaerit et is numerum quaerit, arena, tuum.

175

De bello Bavarico

Unde venis, hospes? *Sinuosi a fontibus Istri.*
Quid memorant illic? *Tristia multa.* Refer!
Altivolae certare Aquilae Leo fertur. Eandem
an quoniam praedam forsan uterque petit?
Non leporem aut haedum, sed silvas, flumina, valles, 5
sed populos, arces, oppida, rura, greges.
Quid demum? *Innumerae peditumque equitumque catervae*
opplerunt agros innumeraeque acies.
Dic plura! *Assiduis quatiuntur moenia saxis,*
igne domus flagrant, sanguine terra madet. 10
Nullus adest Aquilae? *Frater Iunonis adesset,*
Dindymeae matris flectitur at precibus.
Quid Victoria agit? *Tacito ferit aera motu.*
An tandem inclinat? *Non, dubitat, quid agat.*
Et quare dubitat? *Nempe inclinare veretur* 15
quamlibet in partem nil statuente Iove.

175. 10 sanguine...madet: cf. Verg. Aen. 12, 691 **13** ferit...motu: cf. Lucan. 2, 182

Quid, precor, is statuet? *Si divinare necesse est,*
credo suam nunquam destituet volucrem.

176

In simulatorem morbi

Venerat ad Coos Palamedes corpore sano
lusurus medicos Hippocratemque simul
et morbum simulante gradu crebroque gementi
pectore "Confer", ait, "magne magister opem!"
Credidit is, nullum sed postquam corporis aegri 5
indicium vidit, sensit adesse dolos
et "Non morbo", inquit, "sed multa fraude laboras."
Sic abit elusus, ludere qui voluit.

177

In praefectum spiritualem

Quales esse alios optas, sis talis et ipse
nec facias, quicquid das aliis vitio.

178

In Petrum comitem Sancti Georgii

Dives eras, nullas epulas virusque timebas,
at pauper factus, dira venena times.

179

(Epitaphium domini Puthae de Risenberg)

Mole sub hac modica Risebergus Putha recumbit

176. 1 corpore sano: cf. Iuv. 10, 356

extinctus, lacrimas, patria, funde pias.
Nempe tui iuris lumen splendorque senatus
verbosique fuit gloria summa fori.
Sed nec divitiae tetricas nec lingua sorores 5
nec rara evaluit flectere nobilitas.
In medio aetatis nondum cogente senecta
concessit fatis destituitque suos.

180

(Aliud eiusdem)

Hoc iacet in tumulo nostri lux magna senatus
et Risebergaeae gloria, Putha, domus.
Cum Putha leges patriae gravitasque fidesque
et sancti mores eloquiumque iacent.

181

Hoc iacet in tumulo nostrae lux alma coronae
et Ryzmbergae gloria, Putha, domus.
Magnus hic immensis opibus, currentibus annis,
magnus et antiqua nobilitate fuit,
maior at ingenio lingua virtute fideque, 5
ut perhibet luctu patria cara suo.
Extinctus tamen est nondum cogente senecta,
nempe decem tantum vidit Olympiadas.
Huius ni dederis lacrimas, peregrine, sepulcro,
durius Hyrcana tigride pectus habes. 10

179. 7 in...aetatis: cf. Gell. 87, 2

180. 4 sancti mores: cf. Petr. 116, 6, 126, 13

181. 6 cara: chara **h** **9** sepulcro: sepulchro **h** **10** Hyrcana: Hircana **h**

8 Olympiadas: cf. Mart. 7, 40, 6 **10** Hyrcana tigride: cf. Sil. 5, 280

182

De Cubito civitate Boemiae

Dorica Dalmaticis agitatur fluctibus Ancon,
  sustinet et Boreae flamina saeva feri.
Armisonis Ancon quatitur sed nostra procellis
  et patitur flammas, frigora, bella, famem.

183

(Epitaphium domini Ioannis de Ronow)

Mole sub hac parva tegitur Ronoveius heros
  Ioannes, generis gloria magna sui.
Ultor erat scelerum, iusti studiosus et aequi,
  praetulit aurifero fasque piumque Tago.
Plus illi laudis probitas quam sceptra dederunt 5
  fratris et antiquae nobilitatis honos.
Egregios genuit natos natasque parentis
  et docuit mores ingeniumque sequi.
Huius ut in caelo requiescat spiritus, ora,
  lector, caelicolas caelicolumque patrem. 10

184

(Aliud sacerdotis)

Prima Deo dum sacra parat celebrare sacerdos,
  mortuus hac modica contumulatur humo.

182. 3 armisonis procellis: cf. Sil. 15, 39

183. 4 aurifero Tago: cf. Sil. 16, 450

185

Deponit castor testes instante periclo
et venatorum sic fugit insidias.
deponit vitium Castor meus et mala cuncta
pectoris et Stygiis si cavet a laqueis.

186

(Epitaphium Lucae Componii)

Clarus simplicitate, comitate,
Lucas hoc tegitur brevi sepulcro,
cui si divitiae pares fuissent
virtuti studiisque moribusque,
Lyda ditior is fuisset aula. 5

187

Elegia in momum

Quod nostrum carpis studium vitaeque quietem
et rides Phoebum Pieridasque meas,
haud miror; nec enim tanta in caligine mentis
scire potes solis gaudia nota piis.
Non certe turbant gentes et regna Camenae 5
nec praebet bello noster Apollo facem
nec patrias violat leges plebemque furentem
concitat in procerum seditiosus opes.
Haec faciunt, quos turba frequens vocesque faventum
et populi plausus et levis aura iuvant 10
aut qui flaventis Hermi meditantur honores
parvaque regna putant cum Babylone Tagum.
Nos iuga delectant et gratae vatibus umbrae,
muscosi fontes, florida prata, nemus

187. 14 muscosi fontes: cf. Verg. ecl. 7, 45

et volucrum audimus mulcentes aera cantus 15
excipimus variis insidiisque feras.
Tendimus alitibus laqueos leporemque fugacem
sectamur celeri laeta per arva cane.
Interea Haemoniae canimus primordia puppis
erroresque tui, Penelopea, viri 20
fraternasque acies Phrygio miscemus amori
Hannibali Latium conferimusque ducem.
Non tam cura doli est nec quenquam fallimus urit
nec dominandi animum saeva cupido meum.
Nec regum miramur opes aliosque beatos 25
spectantes minime rumpimur invidia.
Te tenet ambitio, fastus, te livor iniquus
Tartareique premunt omnia monstra lacus.
Diripis et spolias nec caro parcis amico,
pupillis, viduis pauperibusque noces. 30
Nec satis es fidus cuiquam, sed munera passim
accipis et praefers iustitiae pretium.
I nunc et nostras aude damnare latebras,
quandoquidem nasum rhinocerotis habes,
et tibi concedent tetrici gravitate Catones 35
censuram metuet Fabriciusque tuam.

188

(Epitaphium Philippi Beroaldi)

Quid tegit hoc saxum? *Beroaldi membra Philippi.*
Quis fuit is? *Phoebi Castalidumque decus.*

15 mulcentes aera: cf. Lucr. 4, 136 **16** insidiisque feras: cf. Verg. Aen. 7, 478 **21** fraternasque acies: cf. Stat. Theb. 1, 1 **24** saeva cupido: cf. Stat. silv. 2, 1, 214; Iuv. 14, 175 **25** regum...opes: cf. Plin. nat. 36, 82, 5, 336, 18 **34** nasum...habes: cf. Mart. 1, 3, 6

188. 2 Castalidumque decus: cf. Mart. 4, 14, 1

Dic patriam! *Legum studiosa Bononia.* Virtus
quanta viri? *Summam novit uterque polus.*
Num magnum ingenium doctrinaque maxima? *Magni* 5
discipuli id perhibent compositique libri.
Dic, quis in hoc tumulo sepelivit! *Docta iuventus*
doctoris lugens tristia fata sui.
Quod solamen habet? *Mundum quia fama Philippi*
possidet, at sedes spiritus aethereas. 10

189

(Ad Sslechtam)

Anxia mens nostra est rerum successibus atque
expectat, si quid scribere, Sslechta, velis;
anxia, quod nullo regitur moderamine portum
nec videt, in quem se lintea nostra ferant.
Consulito dubiae menti, quia pectora nostra 5
curarum nimio pondere pressa dolent.
Aut dic: Vincenda est omnis fortuna ferendo.
Moribus id satis est ingenioque meo.

190

(Ad eundem)

Mentis onus posui duce te, si ponet et Annae
ventris onus, Cous, Sslechta, magister eris.

4 uterque polus: cf. Ov. fast. 2, 295

189. 4 lintea nostra: cf. 98, 2; 201, 30; 221, 12; Mart. 104, 1 **6** pondere pressa: cf. 30, 84; 224, 4

191

(Ad regem Wladislaum Elegia V.)

Wladisilae, veni, coniurat in arma senatus,
  turbantur populi, Wladisilae, veni.
Cotes, pila acuunt, frenorum aptantur habenae,
  implentur pharetrae, Wladisilae, veni.
Induitur ferro splendor, melioribus arcus 5
  tenduntur nervi, Wladisilae, veni.
Solvitur in gladios vomer, fornace novantur
  assidua galeae, Wladisilae, veni.
Bella sonant pueri, iuvenes quoque bella locuntur,
  bella senes memorant, Wladisilae, veni. 10
Wladisilae, veni, nostros sedare tumultus
  te quoniam nemo dissimulante potest.
Ni venies, nostris albescent ossibus agri,
  flumina manabunt sanguine, ni venies.
Ni venies, validas convellet machina turres, 15
  lucebunt flammis oppida, ni venies.
Ni venies, deerunt patribus natisque sepulcra,
  tota ruet patriae gloria, ni venies.
Collapsis opibus nostris labentur et ipsae,
  crede mihi, vires, Wladisilae, tuae. 20
Wladisilae, veni, sic sacra parvulus olim
  recturus populos ludat in arce puer,
nati natorum sic praesint gentibus Istri
  caeruleoque Albi, Wladisilae, veni.

191. 1 coniurat in arma: cf. Claud. 15, 331 **6** tenduntur nervi: cf. Lucan. Phars. 6, 755 **11** sedare tumultus: cf. Lucr. 2, 956; Claud. 8, 255

192

(De Ludovico, infante regio)

Nascere, progenies dudum sperata, futurae
unica spes pacis, nascere, parve puer!
Nascere, cervices populi domiture rebellis
et missure hostes sub iuga saeva tuos!
Nascere, parve puer, quoniam, ni nasceris, arma 5
turbabunt Albim Danubiumque trucem.

Nascere, parve puer! Te nato cuncta quiescent
et tenerae cedent classica saeva lyrae.
Nascere, parve puer, sceptris fruiture parentis
et vincture olim colla superba ducum! 10

193

De Ludovico, infante regio, ad Ioannem Sturnum

Ardebant bello populique binominis Istri
nec longe a gladiis patrius Albis erat,
arma sed extinxit gliscentia regius infans
tot motus ortu composuitque suo.
Si puer haec potuit, quid censes, Sturne, futurum, 5
tanget ubi quinas vivus Olympiades?

194

De eodem regio puero Ludovico

O puer, o soboles proavis dignissima tantis,
o felix opibus imperioque simul,

192. 1-2 nascere...puer: cf. Mart. 6, 3, 1-2 **8** classica saeva: cf. Boeth. cons. 2, 5, 16 **10** colla superba: cf. Claud. carm. min. 48, 10

193. 1 binominis Istri: cf. Ov. Pont. 1, 8, 11 *et passim*

o puer, o magni proles miseranda parentis,
o passure hostes, tela, venena, dolos.

195

Ad Caesarem

Pone tuam, Latiae, spem, rector maxime Romae,
Pannonias olim qui regat, alter adest.

196

Ad imperii principes de nato Ludovico

Ponite, Germani, gladios, et Pannones, olim
natus Pannoniae est, qui regat arva, puer.

197

De infante regio

Evertit patrias Hecubae puer improbus arces
perdidit et veteres Laomedontis opes,
at puer hic, peperit quem nobis regia coniunx,
firmavit patris sceptra verenda sui.
Delevit quoniam geminos Tirynthius angues
in cunis, vatum cuncta per ora volat.
Hunc puerum, qui tot caedes extinxit et arma
in cunis, quare, Calliopea, taces?

195. 1 rector...Romae: cf. Lucan. 1, 359

197. 2 Laomedontis opes: cf. Prop. 2, 14, 2; Mart. 11, 4, 2 **5** Tirynthius angues: cf. Ov. ars 1, 187 **6** per ora volat: cf. 282, 4; 498, 2

198

Annae reginae

Dum peteret nuper caelestes Anna recessus
  et cuperet terrae dicere: „Terra vale“,
edidit infantem, patriae qui iura ministret
  Danubii et teneat sceptra superba sui.

199

Elegia consolatoria ad Wladislaum, Pannoniae et Bohemiae regem, de morte uxoris Annae

Unde novus dolor hic, lacrimis cur lumina manant
  linguaque singultu concutiente tremit?
An forte astriferas sedes regina petivit
  coniugis amplexus deseruitque sui?
Deseruit populos, noster quos alluit Albis, 5
  et qui rura Savi Danubiique colunt.
Heu mihi, venturae quantum mens nescia sortis
  fallitur, ut tenebris saepe sepulta iacet.
Hanc fore, dum vivis, sperabas ipse laborum
  et casti sociam, Wladisilae, tori. 10
Hanc tibi dicebas solatia mille daturam
  iuncturam et lateri tempora multa latus.
Sed patris aeterni mutavit cuncta voluntas
  consiliumque animi perdidit hora tui
et corpus populis nuper ducibusque verendum 15
  exigui factum est sarcina parva soli
membraque, quae quondam Seres Indique Tyrosque

198. 2 terra vale: cf. Ov. met. 13, 948

199. 6 Savi **i** Sani p **10** tori **i** thori p

1 lumina manant: cf. 243, 1; Ov. epist. 19, 25 **2** singultu concutiente: cf. Ov. am. 9, 12 **7** mens...sortis: cf. Verg. Aen. 10, 501 **12** lateri latus: cf. Ov. ars 1, 140 **16** sarcina parva: cf. Ov. epist. 9, 58; trist. 1, 3, 84

aurea velabat, terra pusilla tegit.
Pallor habet faciem, labris sua forma recessit,
purpureae florem deposuere genae. 20
Ora tacent, quae te semper meliora iubebant
sperare et durum fortiter omne pati,
conatus varios non formidare tuorum,
spernere fortunae fulmina, tela, minas.
Non tibi iam curis et rerum pondere fesso 25
uxor in occursum basia grata feret.
Est omnino aliquid maerentis corda mariti
mulcere et curas flectere posse suas
et post solliciti numerosos pectoris aestus
coniugis in caro decubuisse sinu. 30
Iusta quidem tanti fletus tibi causa tuosque
iudice me gemitus carpere nemo potest.
At si fata Dei lacrimis adamanteque scriptas,
vertere si leges, Wladisilae, potes
Eurydicemque velut quondam Rhodopeius heros 35
ex Acheronte Annam si revocare vales,
flebimus, heu, tecum miseri, laniabimus ora
spargemus lacerum pulveribusque caput.
Desine sed, superi rerumque immobilis ordo
quae statuunt, lacrimis flectere velle piis. 40
Hanc legem certe moderator condidit orbis,
verset ut arbitrio mors fera cuncta suo.
Haec volucres piscesque maris Libycosque leones,
haec tenet et Scythicas Caucaseasque feras.
Huic legi paret vulgus miserabile, parent 45
purpurei reges armigerique duces
quisquis et ingenio terras metitur et orbem

25 non **i** ne **p** **35** Rhodopeius **i** Rodopenis **p**

18 terra pusilla: cf. Sen. epist. 91, 17 **24** fortunae fulmina: cf. Cic. Tusc. 2, 27, 66**39** rerum...ordo: cf. Liv. 25, 6, 6, 100, 2 **40** lacrimis flectere: cf. Verg. Aen. 8, 384 **41** moderator orbis: cf. Ov. Pont. 2, 5, 75 **42** arbitriio...suo: cf. Lucan. 9, 1059 **44** Scythicas feras: cf. Stat. silv. 2, 5, 28-9 **45** vulgus miserabile: cf. 60, 5; 68, 218; Lucan. 6, 110 **46** purpurei reges: cf. Claud. rapt. Pros. 2, 300

scrutaturque polos aequoreosque sinus
quisquis et eloquium linguaeque volubilis artem
exercet rauci natus ad arma fori. 50
Non cumulasse aurum mortem, non findere terram,
non arcet pecudum pascere mille greges.
Quos populi regesque timent, hac lege reguntur,
et quos imperium, sceptra, tiara iuvant,
si quis et hostiles prosternit caede catervas 55
et gerit audaci fortia bella manu.
Hac mixti senibus iuvenes teneraeque puellae,
hac periit coniunx denique lege tua.
Fer magno fortique animo, quae ferre necesse est,
succumbant modico nec tua vela noto. 60
An, quia vincebat cunctas virtute maritas,
debebat mortis non subiisse manus?
Non minus ast Anna veteres heroides olim
impleruut caelum laudibus omne suis.
Casta fuit, ferro Lucretia pectus adegit 65
et facta est Latiae norma pudicitiae.
Fida fuit, mansit dilecto fida marito
innumeros inter Penelopea procos.
Praeposuit gemmis carum vitaeque maritum,
coniugis Euadne fata secuta sui est. 70
Has quoque mors rapuit nec formae ignovit et annis
nec roseum timuit sanguinolenta decus.
Num tandem es solus gallinae filius albae
humanos casus nec tolerare potes?
Si placet, at toto circumfer lumina mundo, 75
immensus quicquid cingit et Oceanus,
vixque locum invenies, ubi fletus desit et in quo

47 quisquis **i** quisque **p** **54** tiara **i** thiara **p** **68** est *om.* **i** **75** et in quo **p** in quo et **i**

50 rauci fori: cf. Claud. carm. min. 20, 8 **52** mille greges: cf. Ov. met. 4, 635 **68** mansit...procos: cf. Ov. am. 3, 4, 24 **70** coniugis Euadne: cf. Prop. 1, 15, 21 **73** gallinae...albae: cf. Iuv. 13, 141 **76** cingit et Oceanus: cf. Sen. nat. 3, 29, 7, 161, 931

non habeat causam materiamque dolor.
Nec loquar antiquas clades Danaumque Phrygumque,
errores Ithaci Thraiciumque nefas. 80
Et nec Thebanas arces altamque Corinthum,
Spartanos casus Cecropiosque canam.
Non caedes regum memorabo, Roma, tuorum
mixtaque Trinacrio toxica dira favo.
Aspice, quid patruus tulerint et avunculus olim, 85
quid proavus, proavi denique passus avus.
Aspice fortunam fratrum Scythicosque furores
et Byzantiaci signa tremenda ducis.
Qui Capuam nuper regnumque domabat avitum,
quas patitur victor, possidet exul opes. 90
Insubrium frenabat agros Genuamque potentem,
quem nunc privatum Gallica regna premunt.
Fer, precor, aequo animo culpas speraque piari
casibus adversis, Wladisilae, tuas.
Fer, rex, sortem hominum; nec enim tu maior Iobo es, 95
aut, qui sidereae gloria prima lyrae est.
Cernis, ut inter se proceres iam proelia miscent
et gladios promunt luctificasque tubas,
cernis item, populi transverso ut lumine spectant,
ut vix abstineant seditione manus? 100
Nobilitas procerum fastus incusat et ipsam
incerta turbam suspicione premit.
Quis nunc Pannoniae motus ignorat et arma,
instabiles animos instabilemque fidem?
Scilicet ipse tibi dilectae funera flebis 105
coniugis et gentes Mars violentus aget?

78 Ithaci **i** Itaci **p** Thraiciumque **i** Traiciumque **p** **79** Corinthum: Corintum **i** Chorintum **p** **86** Byzantiaci **i** Bisantiaci **p**

78 materiamque dolor: cf. Sen. Med. 914 **79** Danaumque Phrygumque: cf. Homer 268 **88** signa tremenda: cf. Claud. 23, 3; praef. v. 10 **97** proelia miscent: cf. Lucr. 4, 1013; Verg. Aen. 10, 22; georg. 3, 220 **99** transverso lumine: cf. Germ. Arat. 507 **104** instabiles animos: cf. Verg. georg. 4, 105 **106** iactantibus austris: cf. Hor. sat. 1, 1, 6

Non decet at, tumidis puppim iactantibus austris
rectori ut lacrimae maesta per ora fluant.
Nec fas est vultum luctu tabescere, qui tot
luminibus procerum pontificumque patet. 110
Fer, rex magne, precor rursus, quod ferre necesse est,
nec dolor immeritum pectus inanis edat.
Quod natura dedit cunctis mortalibus, utquid
displicet o soli, Wladisilae, tibi?
Sit procul a sancta tam magna superbia mente, 115
hic procul a vera sit pietate furor.
Quin potius tristes cohibe ratione querelas
uxoremque tibi haec dicere crede tuam:
"Cur fundis lacrimas, coniunx dulcissime, cur fles,
carior o vita, dum mihi vita fuit? 120
Non ego Tartareas sedes Erebique profunda
aut loca fumanti sulphure plena colo,
non me Tisiphone collum velata caputque
anguibus excruciat tergeminusque canis.
Vincula deposui, corpus mortale sepulcrum 125
et tellus, animam clarus Olympus habet.
In superas delata domos et tecta piorum
angelicos auxi diva novella choros.
Specto Dei faciem, pascor caelestibus hymnis,
mundo incomperta laetitiaque fruor. 130
Parce quiescentem nimio turbare dolore
et lacrimis manes laedere parce meos.
Iam tua, iam satis est pietas mihi nota, marite,
cognita iam satis est indubitata fides.
Tecum iuncta tribus vixi feliciter annis, 135
sique dies numeras, perbreve tempus erat,
si, qualis fuerat nobis concordia morum,

107 fas **i** phas **p** **119** Erebique **i** Herebique **p** **125** domos **i** domus **p** **126** diva novella **p** iam nova diva **i** **127** pascor **i** pastor **p** **136** Deiphobes **i** Deiphebes **p**

109 luctu tabescere: cf. Lucr. 3, 911 **121** Tartareas sedes: cf. Verg. Aen. 8, 667; Stat. Theb. 8, 65 **122** loca...plena: cf. Sen. nat. 3, 24, 4 (140, 571) **124** tergeminusque canis: cf. Prop. 4, 7, 52 **136** perbreve tempus: cf. Liv. 41, 20, 8, 30

Cumanae vici saecula Deiphobes.
Adde, quod ante tibi sum prolem enixa gemellam
consului et regnis imperioque tuo. 140
Altera finitimos iunget tibi foedere reges
finitimasque tibi conciliabit opes,
altera te lassum plenumque senilibus annis
ut metuant gentes tot populique, dabit.
Extinxi flammam prope iam tua tecta tenentem 145
et dominum Boemis Danubioque dedi.
Nil iam, quod speret princeps Romanus, habebit,
nil alii, quos spes nescio qualis alit.
Desine, pignus habes monumentaque coniugis, utquid
lamentis minuis gaudia nostra tuis?" 150
Haec uxor. Populi nunc audi verba precantis
et, quid venturi posteritasque velit.
Si solum tibi te rerum natura creavit
et nihil ad terras imperiumque facis,
dissimulare tuos fletus fortasse liceret 155
et laudare pium principis ingenium.
Nunc, cum nostra salus in te inclinata recumbat,
ex te cum patriae pendeat omne decus,
fas nobis mortem sit formidare, doloris
immensi comitem, sed procul omen eat. 160
Sit fas, quaeso, tuis olim nocitura timere
et vitae columen vivere velle suae.
Nam quid, saeve, paras, quereris cur fata morari
decretosque tibi tardius ire dies?
Si tot terrarum tractus urbesque superbas 165
negligis et generis stemmata clara tui,
si tibi nos animae viles penitusque videmur
indignae, solita quos tuearis ope,

144 Boemis **i** Bemis **p**

139 prolem...gemellam: cf. Ov. met. 9, 453 **143** senilibus annis: cf. Ov. met. 7, 163; 8, 694; 13, 66 **151** verba precantis: cf. Ov. epist. 4, 175 **162** vitae columen: cf. Plin. nat. 15, 57, 2, 530, 5 **165** tot...tractus: cf. Lucan. 8, 336 **167** nos...viles: cf. Verg. Aen. 11, 372

quid puer at meruit, primo qui in limine vitae
  porrigit ad patrem bracchia parva suum? 170
Quodque potest tantum, risu blanditur et ore,
  artibus in patriis instituique cupit.
Hunc tu, dure parens, tot falsos inter amicos
  tam varios inter destituesque dolos,
tune feres, undent ut nostro sanguine campi, 175
  qui primi dedimus regia sceptra tibi,
ut passim humanis albescant ossibus agri,
  ut viduae et matres pignora cara fleant,
filius ipse etiam? Sed quid memorare necesse est,
  anxia quos fingit mens sibi saepe metus. 180
Talia nempe manent, si te dolor iste sub umbras
  auferat a nobis, Wladisilae, tuus.
Pone igitur fletum, trepidis et consule rebus
  et fer opem populo, quem ditione premis.
Pone, precor, lacrimas et vanos excute questus 185
  pectore, magnanimi clara propago patris,
et, qui mille duces vicisti, mille catervas,
  affectus animi nunc quoque vince tui.
Sic videas generum gentes urbesque domantem
  et dignum socero prosoceroque suo. 190
Sic tua progenies et, qui nascetur ab illa,
  imperium teneant cum seniore senes.
Sic Mahumetaei tibi cedant arma tyranni
  et duce te ponat Graecia docta iugum.
Sic tibi gliscentes liceat sedare tumultus 195
  et punire malos, praemia ferre bonis.
Sic animum, quando terreni deseret artus
  corporis, accipiant sidera celsa tuum.

170 bracchia **i** brachia **p** **175 - 176** tune feres...sceptra tibi *om.* **i** **182** tuus **i** tuos **p** **193** Mahumetaei **i** Mahumethei **p**

173 dure parens: cf. Stat. Theb. 9, 390 **180** fingit mens: cf. Tib. 2, 6, 51 **185** pone...lacrimas: cf. Sil. 9, 350 **186** magnanimi patris: cf. Lucan. 9, 133; Sil. 10, 437-8

200

(Quod careat somno)

En mollis pecus omne tenet volucresque ferasque
et genus humanum squamigerumque sopor.
Non valido terram proscindit vomere taurus,
non sequitur leporem lata per arva canis.
Venator pavidis non tendit retia dammis, 5
non carpunt tenerae florida prata caprae.
Nostra tamen solito privantur lumina somno
et membris requies non datur ulla meis.
Quid faciam? Musae, vestro succurrite vati
et tu, Castalii rector, Apollo, chori. 10
Non me Palladii faciunt vigilare labores
cudentem, quae mox cuncta per ora volent.
Non fratrem aut carae deflemus funera matris
ex nostris praedam nec tulit hostis agris.
Bile caput nimia plenum est nobisque quietem 15
nescio quis morbus nocte dieque negat.
Vos ferte auxilium, mea numina, ferte medelam
et date, quicquid opis maximus orbis habet.
Non ego sum Thamyris nec quae certamine victae
supplicium penna versicolore luunt. 20
Non, qui, dum vestrum cuperet violare pudorem
in terram celsa turris ab arce ruit.
Phoebi miles eram iuvenis, veniente senecta
Phoebi, consulitis si mihi, miles ero.
Vos cithara mulcete animum, vos tangite virga 25
somnifera, vester quam Tegeaeus habet.
Ni facitis, Musae, longe procul este, poetae
quae nullam vestro ferre potestis opem.

200. **2** genus...squamigerumque: cf. Lucr. 2, 342 - 3 **3** proscindit vomere: cf. Claud. carm. min. 28, 1 **4** sequitur...canis: cf. Germ. Arat. 341

201

(Ad sanctum Venceslaum elegia)

Quid facis, o columen nostrum patriaeque labantis?
Quid facis, aetherei lumen honorque Laris?
An te forsan habent Lethaeae oblivia ripae
excidimusque animo nos, tua turba, tuo?
Aequoris in medio cur nos, pater optime, fessos 5
deseris assuetum praesidiumque negas?
Aspicis, ut tendat picei frenator Averni
mille tuo populo retia, mille plagas
aspice, quam late ventosa superbia regnat,
despicit ut fastu cetera cuncta truci. 10
Invidia livent proceres cum paupere vulgo
tinctaque vipereo spicula felle gerunt.
Detinet ira ferox plebem vindictaque votum est
omnibus et magni creditur esse viri.
Vivitur ex spoliis, nulla est concordia fratrum, 15
nummus honoratos egregiosque facit.
In miseros passim iuvenes miserasque puellas
tela pharetratus flammea iactat Amor.
Dicere blanditias dominae, gestare corollas
dedecus annosus non putat esse senex. 20
Segnities multis atque otia sola probantur
et gravior Stygiis est labor omnis aquis.
Pluribus est venter curae Bacchoque ciboque
distendi vitae praemia summa putant
Cretaque quidquid habet, quidquid Chios aspera vini 25
sufficit illorum vix satiare gulam.
Religio nulla est, superi caelumque putatur
fabula nec pueri iam Phlegethonta timent.
Hos inter fluctus semper iactamur et undas

201. 3 Lethaeae...ripae: cf. Lucan. 3, 28

12 tincta...felle: cf. Ov. Pont. 3, 3, 6

auraque nescio quae lintea nostra vehit. 30
Nos inter scopulos agimur moderamine nullo
nec Tiphys nobis nec Palinurus adest.
Sed tu lentus abes nec nostra pericula curas,
qui spes es nostri perfugiumque chori.
Saucia sunt nobis Erebeis membra sagittis 35
vulnera nec medica nostra foventur ope.
Te quondam in niveo (si vera est fama) caballo
externas acies, dive, fugasse ferunt.
Terrenas acies terrenaque castra fugare
si potes, hos hostes nunc quoque pelle, precor. 40
Detege Tartarei fraudem serpentis et astum,
detege conatus insidiasque suas.
Te pietas moveat, te denique vota tuorum,
te flectant humiles, dux venerande, preces.
Da veram pacem tranquillaque tempora nobis, 45
sit tuba, sint litui, sint fera bella procul.
Sit procul omne animi vitium pestisque recedat
Corporis et mentem si qua venena tenent.
Fac curent patriam proceres maiorque potestas
rex, qui Pannonici nunc colit arva soli. 50
Pareat imperio populus, mandata senatus
observet, nulli noxius esse velit
vanaque religio peregrinaque sacra facessant,
agnoscat Latius pastor ovile suum.
Cessent letiferi motus cessentque tumultus, 55
per quos iam patriae corruit omne decus.
Sic tua te soboles cunctis venerabitur annis
et dicet patrem tempus in omne pium.

30 lintea nostra: cf. 98, 2; 189, 4; 221, 12; Mart. 104, 1 **33** tu...nec: cf. Ov. epist. 2, 23 **44** dux venerande: cf. Ov. fast. 1, 646

(Disticha de duodecim apostolis)

202

(De s. Petro)

Haemoniae puppis frenabat Tiphys habenas,
tu nostrae puppis carbasa, Petre, regis.

203

(De s. Paulo)

Paule, decus caeli, Paulo praestantior illo es,
qui quondam Tyrio concidit a gladio.

204

(De s. Bartholomaeo)

Est bonus et sapiens mercator praestat et astu,
nam pro pelle polos Bartholomaeus habet.

205

(De s. Ioanne apostolo et evangelista)

Ioannes noster, Graii Latiique poetae,
est vestro multo castior Hippolyto.

206

(De s. Andrea)

Notior integritas Andreae pauperis orbe est,
quam sunt divitiae, Sardanapale, tuae.

207

(De s. Thoma)

Exiguae quondam fidei, sanctissime Thoma,
exemplum firmae nunc speculum es fidei.

208

(De s. Iacobo Maiore et Minore)

In terris habuit geminus plus Scipio laudis,
in caelo geminus plus Iacobus habet.

209

(De s. Iuda Thaddaeo)

Iudarum o variam sortem: Scariotus Avernum,
at noster caeli sidera clara petit.

210

(De s. Philippo)

Iudaeus satanam vicit barathrumque Philippus,
Pellaeus Graecos: Dicite, quis melior?

211

(De s. Simone)

Sunt duo, quos sequitur spatiosus, Simones, orbis:
Alter amat caelos, alter amat loculos.

208. 1 geminus Scipio: cf. Sil. 15, 3 - 4

212

(De s. Matthaeo)

Quam bene Matthaeus mores mutavit? Amabat
quondam divitias, nunc amat ecce Deum.

213

(De s. Matthia)

Praeposuit Domino Iudas stultissimus aurum,
Matthiam Iudae praeposuit Dominus.

214

(De assumptione Beatae Mariae Virginis)

Laetior est superum quare nunc coetus et ipsa
cur aeterna novis personat aula modis?
Sancta parens caelos adit et penetralia nati,
adventu Dominae gaudet uterque polus.

215

(Ad sanctum Georgium)

Salve, terreni domitor Stygiique draconis
militiaeque decus superae nostraeque, Georgi,
audi, quaeso, preces nostras satanamque tuorum
cuspide caelesti procul a cervicibus arce.

216

(Aliud)

Terreni domitor colubri Stygiique, Georgi,
et nostrae et superae gloria militiae,

Audi, quaeso, tuos hostemque repelle superbum,
qui vada Cocyti cum Phlegethonte domat.

217

(Aliud de eodem)

Qui satanam quondam pelagique Georgius hydrum
vicit, is haec supera tecta tuetur ope.
Hinc procul este, Erebi proceres et noxia cuncta,
tuta patrocinio nam domus ista suo est.

218

(Salutatio Mariae Virginis)

O regina poli, cuius clementia summa est,
vitae dulcedo spesque salutis ave.
Ad te clamamus miserandis vocibus, Evae
eripe nos natos exulis exilio!
Ad te cum gemitu, lacrimarum valle iacentes 5
suspiramus, ades, Virgo beata, tuis.
Ergo age, mortalis, genitrix, patrona catervae
luminaque ad populum verte benigna tuum
et post exilium hoc faciem da cernere Christi,
o clemens, dulcis et pia Virgo, precor. 10

219

(Benedictio mensae)

Arbiter o rerum, nostrae spes unica vitae,
nos, tibi devotum sanctifica populum
sanctificaque tuo concessum munere potum,
huic mensae impositas sanctificaque dapes.
Fac satiati hymnum pura tibi mente canamus, 5
ut tua laus nostro semper in ore sonet.

220

(Gratiarum actio)

Quod Cerere et potu pleni sumus ipsaque quod iam
viscera quaesito sunt saturata cibo,
laus tibi, Christe Deus, mundi venerande redemptor,
qui mare, qui caelos, qui Phlegethonta domas.

221

(De contemptu rerum humanarum)

Letales hominum curae vanique labores
atque voluptatum dulcis amarities
et mundi pereuntis amor, procul ite meamque
desinite insidiis sollicitare animam!
Iam satis aequoreos fluctus toleramus et inter 5
pestiferas terrae vivimus illecebras.
Iam satis immensi regem contemnimus orbis
et damus in Stygiam nomina militiam.
Solvere iam tandem graviori colla catenae
en libet et Domini mite subire iugum 10
et post tot casus miseraeque pericula vitae
dirigere ad patriam lintea nostra iuvat.
Iam mores mutare decet, pro vellere Serum
sumere Cinyphii tegmina dura capri,
opprobriis fastum pensare et gaudia fletu, 15
paupertate lucrum luxuriamque fame.
Una salus Deus est, sed cetera cuncta veneno
plena et amatori perniciosa suo.

221. 12 lintea nostra: cf. 98, 2; 189, 4; 201, 30; Mart. 104, 1 **13** vellere Serum: cf. 68, 171; 96, 1; 127, 25-6; 141, 4; 423, 9

222

(Ad peccatorem)

Germinat omnis ager, vestitur frondibus arbos,
purpureis tellus contegitur violis.
Cedit hiems Boreasque ferox canaeque pruinae,
montanas propior solvit Apollo nives.
Fac, etiam probitate animus tibi germinet, anni
tempora virtutum floribus ut decores.
Cedat blanda Venus, livor fastusque dolique,
quisquis es, ex animo pectoribusque tuis.

223

Nympha dormiens

Sum laticum custos, horum sopita susurro
dormio, ne somnos rumpite, quaeso, meos.

224

(Ad Apollinem)

Non totidem caelum volucres, non aequora fluctus,
non tot purpureus gramina campus habet,
quot cecidere hominum iam millia, cymba Charontis
quin etiam assiduo pondere pressa gemit.
Pone arcum, Paean, pharetraque reconde sagittas,
poenarum dedimus nam, mihi crede, satis.

222. 1 omnis...arbos: cf. Verg. ecl. 3, 56 **2** cedit hiems: cf. Ov. fast. 3, 235

223. 1 sopita: sospita **d**

2 ne...rumpite: cf. Lucan. 7, 24

224. 2 gramina...habet: cf. Ov. trist. 5, 1, 32 **4** pondere pressa: cf. 30, 84;

189, 6 **5** pone...sagittas: cf. Auson. epigr. 104, 1

225

(De Ioanne Domaslavio)

Quo fugis? *Ad superos.* Quare? *Requiescere terris*
non licet. Ah, remane. *Dic ubi quove loco?*
Ioannem nosti? *Quidni.* Sine fraude doloque est.
Concedo, sanctum pectus habet, fateor.
Hoc habita. *Faciam.* Sedes te digna sub eius 5
corde latet. *Credo consiliumque placet.*

226

In pestem

Quid sibi vult superum rector? Sanguisne meretur
hoc tuus et carnis vulnera quinque sacra?
An genus humanum subito delere furore
et populanda feris tradere cuncta paras?
Coniugis interitum coniunx fraterque sororis 5
et miseri lugent pignora cara patres.
Corpora multa iacent vitae surrepta sepulcri
et vix inveniunt funera tanta locum.
Iam satis infanda premimur lue, pone sagittas
et cohibe ultricis fulmina iusta manus. 10

227

De peste

Saeva lues late serpit dirumque minatur
iamque tenet patrios sanguinolenta Lares
formososque rapit iuvenes tenerasque puellas.
„Quid faciam, medicae, Phoebe, repertor opis?"

226. 4 populanda...tradere: cf. Ov. met. 1, 249

227. 4 medicae...opis: cf. Ov. rem. 76

sic ego. Sic contra velatus tempora lauro 5
intonsa Paean conspicuusque coma:
„Esto hilaris, venare feras, contagia morbi
devita; curae cetera linque Dei.“

228

(De summo pontifice Iulio secundo)

Abstuleris nobis si, Iuli, insignia regni
Romani, valeant et tua sacra simul!

229

(De summo pontifice Iulio secundo)

Antistes sedis Latiae, moderator ovilis
Petrei, in Venetos Iulius arma movet.
Iulius hic quare sed gaudet sanguine, Petrum
uti terreno cum Deus ense vetet?
Pro Petro Aeneae numquid successor haberi 5
gentilisque sui vincere bella cupit?
Atque ita mercedem capiet, cum Caesare flammas,
cum Petro quoniam noluit astra poli.

230

(De eodem)

Imperii gladium si Rheno, maxime pastor,
abstuleris, spernet pontificis gladium.

228. *in tit.* pontifice: pontifici **d**

231

(Aliud)

Si gladium imperii vis Rheno auferre, timebit
nec Rhenus Latii pontificis gladium.

232

(Aliud)

Sancte pater, gladium vagina conde minacem,
qui gladio pugnat, nempe perit gladio.

233

(Aliud)

Si Latium Gallis sceptrum, pater optime, confers,
pro nobis Galli pastor eris populi.

234

(Ad eundem)

Praesulibus priscis placuit Germania quondam,
cur tibi nunc, pastor maxime, displicuit?
Caesaream transferre alio cur, quaeso, tiaram
niteris et populis tradere Santonicis?
Eripies certe Latii si insignia nobis
imperii, valeant et tua sacra simul.

235

(In proceres)

Cum toties proceres coeant in moenia Pragae,
utile, dic, proceres quid patriae statuunt?

236

Ad Sslechtam

Donec cura fuit leges servare Tonantis
  et sanctae placuit religionis amor,
imperium crevit nostrum lateque vagata est
  gloria et aetherei contigit astra poli.
At nunc corruptos viciis Stygioque veneno 5
  miretur quis nos tristia cuncta pati?

237

(Ad Sslechtam)

Si Deus in partes geminas divisa perire
  imperia affirmat, patria quid faciet?
Si fastus, si livor edax aurique cupido
  extinguit populos, patria quid faciet?
Corrupti mores scelerumque licentia magna 5
  si regna everterit, patria quid faciet?
Si, quoties cedunt privatis publica, saepe
  intereunt urbes, patria quid faciet?
Quid faciet vates, si patria, Sslechta, peribit,
  et quis erit plectris ingenioque locus? 10
An procul hinc abiget Mavors Heliconia Tempe
  turbabuntque meas cornua rauca fides?

238

(De Ioanne Sslechta)

Nestoras Atrides bis quinque optabat habere,
  quam primum ut Phrygias frangere posset opes.

237. 12 cornua rauca: cf. 34, 64; 269, 8

238. 2 Phrygias opes: cf. Ov. epist. 8, 14; 13, 58

At Wladislao dabitur si Sslechta secundus,
  corruet imperium, barbare Turce, tuum.

239

(Ad Sslechtam)

Cum regnent alii et lato dominentur in orbe,
  quare privatus, maxime Sslechta, manes?
Invida, num forsan, quoniam Fortuna veretur,
  ne perdat vires te dominante suas?

240

(Domini Ioannis Sselebergii)

Inclitus a proavis iacet hic atavisque Ioannes,
  principe gaudebat quo Sseleberga domus.
Illius eloquium facundae et gloria linguae
  sustinuit patriae saepe ruentis opes.
Illius ingenio cessarunt bella tubaeque 5
  horrisonae raucos continuere modos.
Virtutem illius sensit cum rege senatus
  quaeque colit viles, rustica turba, casas
et gens, si qua habitat nascentis litora Rheni,
  aut quae Sarmaticos vomere sulcat agros. 10
Mortuus hic tamen est prima vix tempora tinctus
  canitie lacrimis plebe madente piis.
Spiritus astrifera cuius potiatur ut aula,
  effice devota, qui legis ista, prece.

239. **4** te dominante: cf. Namat. 1, 64

240. **3** facundae...linguae: cf. Auson. ordo 89 **4** patriae ruentis: cf. Lucan. 9, 385 **8** rustica turba: cf. 118, 3; 247, 18; 482, 1 **10** vomere sulcat: cf. Ov. trist. 3, 10, 68

241

(Epitaphium Conradi Celtis, poetae laureati)

Quo duce Danubius cantu certavit Homero
lusit et Aonia Parrhasis ora lyra,
quo duce Nestoreo sonuerunt ore triones
floruit Arpino Rhenus et eloquio,
Conradus iacet hic Celtes, quo Francia vate 5
tollitur et fibras provocat Ausonias.

242

(Aliud eidem)

Hic recubat Celtes Conradus, rector Olympi
quem, precor, ut campis collocet Elysiis.

243

*(Epitaphium domini Ioannis de Wartenberg et Tetzen,
praepositi ecclesiae Pragensis)*

Wartenberga domus, quare tua lumina manant?
Me miseram, columen corruit omne meum.
Quisnam? Ioannes, lux sacrae et gloria turbae,
spes patris, fratrum spes generisque sui.
Illene, delegit cuius praecordia virtus 5
aeternam sedem perpetuamque sibi?
Ille, ille antiqua praesignis origine, cuius
maiores patriae grande fuere decus,

241. 1 cantu certavit: cf. Plin. nat. 5, 106, 1, 405, 17

243. 1 Wartenberga **d** Wartemberga **h** cur sic **h** qua re **d** **2** miseram **d** miserum **h**

1 lumina manant: cf. 199, 1; Ov. epist. 19, 25

qui Pandionias artes Musasque colebat,
cui probitas Croesi carior aere fuit. 10
Scilicet hunc etiam iuvenem mors abstulit orbi,
cum sinat immeritos vivere saepe diu.
Hunc, inquam, rapuit saevissima, nempe perenni
descriptae leges sic adamante iubent.
Dic, precor, aetatem, qua nos vitamque reliquit! 15
Quattuor et totidem vidit Olympiadas.
Qua forma? Flavus crines faciemque decorus
cuncto spirabat corpore forma, genus.
Dic mores! Hostis scelerum portusque bonorum,
assidue laetus, cum gravitate tamen. 20
Quis clausit tumulo? Genitor; sed desine, quaeso,
quaerere, nam lacrimae dicere plura vetant.

244

(Ad beatam Virginem elegia)

Cocyti domitrix, nebulosi terror Averni
atque impollutae norma pudicitiae,
errantum lumen, radiantis ianua caeli,
turbatae statio perfugiumque ratis,
ecce meam puppim violento flamine venti 5
in saxa et scopulos et vada caeca trahunt,
ecce procellosus Boreas nigrantibus alis
in brevia et Syrtes carbasa nostra rapit.
Undique densantur picea caligine nubes,

10 Croesi...carior **d** Craesi... charior **h** **11** scilicet hunc etiam iuvenem mors **d** ecce etiam hunc iuvenem nostro mors **h** **16** Olympiadas **h** Olympiades **d** **17** facieque **h** **18** quadratusque manus, pectora, colla, pedes **d** cuncto spirabat corpore forma Genus **h** **22** lacrimae: lachrymae **h** lachrimae **d**

13 – 14 perenni adamante: cf. Ov. met. 15, 813 **15** vitamque reliquit: cf. Verg. Aen. 5, 517

244. 6 vada caeca: cf. Verg. Aen. 1, 536 **7** Boreas...alis: cf. Sil. 17, 248-9 **9** picea...nubes: cf. Verg. georg. 2, 309

undique dant vastos aequora vasta sonos. 10
Passim tela volant, passim sua retia tendit
nobis Tartarei turba nefanda lacus.
Assidue cupimus nocitura et vana probamus
et sequimur terras negligimusque polos.
Quid tandem aggredimur? Properat vicina senectus 15
aspergit nostrum canitieque caput.
Deficiunt lassi iam multo pondere nervi,
latius et solito turget aqualiculus.
Quid facimus? Vasto circumdamur ecce profundo,
incertas quorsum dirigimusque vias? 20
Inter tot laqueos et tanta pericula vitae
ancora qua tandem nostra quiescet humo?
Pellicit hinc fastus Venerisque obscena voluptas,
illinc livor edax pectora nostra quatit.
Blanditur lucrum, turgescit vitrea bilis 25
et servire epulis desidiaeque iuvat.
Et quocumque oculos animi converto, venenis
invenio et Stygiis omnia plena dolis.
Et delectat adhuc veterum mendacia vatum
falciferum et vano cum Iove nosse senem, 30
scilicet errores Ithaci lateque vagantem
per pontum Aeneam perdidicisse sat est.
Hypsipyles luctum semper Glycerenque canemus
bellaque Pelidae, Deidamia, tui
Ogygiosque rogos et sectae colla Medusae, 35
hortos Alcinoi Threiciamque lyram.
An tandem haec nobis poterunt conferre salutem
reddere siderei participesque Laris?
Et poterit Phoebus, Pallas, Tegeaticus ales

10 aequora vasta: cf. Verg. Aen. 7, 228 **15** vicina senectus: cf. Sil. 3, 382; Claud. 1, 31 **17** deficiunt nervi: cf. Hor. ars 26-7 **18** aqualiculus: cf. Pers. 1, 57 **25** turgescit...bilis: cf. 3, 8 **29** veterum...vatum: cf. Ov. am. 3, 6, 17 **34** Deidamia tui: cf. Ov. am. 1, 704 **35** sectae...Medusae: cf. Stat. silv. 1, 1, 38 **36** Threiciamque lyram: cf. Ov. am 2, 11, 32; epist. 3, 118 **39** Tegeaticus ales: cf. Stat. silv. 5, 1, 102

tabificam nostro pellere corde luem? 40
Me miserum, in quantis versantur nostra tenebris
et quantum nigrae pectora nubis habent!
Vulnera iam foetent sanie, praecordia virus
occupat, ante fores mors odiosa manet.
Et iuvat insanis veterum impallescere chartis 45
et Solomoniacae temnere plectra lyrae.
Saepe quidem volui subducere colla catenae
demere et ex humeris exitiale iugum.
Et libet et nequeo. Liquidum sic aera pennis
frustra viscatis findere tentat avis. 50
Qualiter et Scythica religatus rupe Prometheus
sanguine Caucaseas pascere fertur aves,
non aliter, scelerum vinctus septemplice nexu,
infernos pasco moribus ipse canes.
Viscatas habeo pennas, has rore superno 55
aethereisque undis ablue, diva, precor.
Eripe nos Erebi ducibus caecisque sagittis,
eripe compedibus, nam tua turba sumus.
Porrige felicem conanti surgere dextram
seductumque reduc ad tua saepta pecus. 60
An, quia peccavi, misereri forte recusas
laederis et vitiis, virgo pudica, meis?
Scilicet e fragili terra limoque creatus
id poterit, pietas nolit ut esse pia?
Opprobriumque crucis poterit delere verendae 65
pulvis et in cinerem mox rediturus homo?
Non haec fama canit, non haec, quos mille periclis
diceris ereptos conciliasse Deo.
Non ego Cretaeae sum cultor perfidus arae,
non colo, Iudaei quem coluere, Baal. 70
Non Belus nostro veneratur ture nec Isis,

45 iuvat...chartis: cf. 252, 17; Pers. 5, 62 **48** exitiale iugum: cf. Claud. 2, 89
51 qualiter...Prometheus: cf. Mart. epigr. 9, 1 **58** tua...sumus: cf. Ov. am. 1, 1, 6
61 forte recusas: cf. Calp. ecl. 6, 28

non quoscumque deos barbara Memphis habet.
Opprimar a scelerum quantumvis mole, tamen me
vivere sub Latia religione iuvat.
Confiteorque Patrem, Natum et qui manat ab illis, 75
confiteor fidei dogmata cuncta sacrae.
Nunc ades ergo tuo per sumptum e corpore corpus
et per virginei mystica claustra uteri,
per vulnus lateris, per tinctos sanguine claves,
per nati colaphos, serta, flagella tui. 80
Te freta, te tellus metuit, tibi machina mundi
servit et immensi tractus uterque poli.
Paret et ipse dies, parent et tempora noctis,
parent, quas peragunt sidera cuncta, vices.
Mira potes, genitrix, nostro in discrimine monstra, 85
quae potes, et votis annue, quaeso, meis.
Confer opem, Eoi quam non praecepta magistri,
non cum Philyride Thessala philtra ferunt
quamque nec Eoae possunt medicamina Circes
Phasidis in ripis lecta nec herba dare. 90
Da castum pectus, vacuam da crimine vitam
et scelerum e collo pondera deme meo.
Da mihi, stelligeram quicquid perducit ad arcem
eruit et nigris e Phlegethontis aquis.
Non sine me nigri demergi faucibus Orci, 95
non sine damnatae cernere tecta domus.
Tu dux esto mihi semper, tu portus et aura,
sis Helice puppis, sis Cynosura, meae.

89 Philyride: Phylliride **i**

72 barbara Memphis: cf. Luc. 8, 542; Mart. 8, 30, 2; epigr. 1, 1 **81** machina mundi: cf. Lucr. 5, 96 **88** Thessala philtra: cf. Iuv. 6, 610-11 **95** faucibus Orci: cf. Verg. Aen. 6, 273

245

Venceslai Wlczek

Hunc Venceslaus tumulum, Caenovia proles,
ingens Arctoi gloria Martis, habet.
Hoc sine non reges, gelidus quos alluit Albis,
duxerunt acies in fera bella suas.
Hoc sine non gentes moverunt arma superbae 5
nec dedit horribiles bucina rauca sonos.
Huius Danubius virtutem et Vistula novit
et, qui Sarmaticas potat, Alanus, aquas.
Sed quem non iuvenem potuerunt tela nec enses
perdere, longa senem perdidit ecce dies. 10

246

Aliud eiusdem

Hoc Venceslaus, soboles Sulevicia, saxo
conditur, heu lumen, patria cara, tuum.
Magnus erat certe membris et corpore, verum
maior consilio, religione, fide.
Hunc rex, hunc proceres quondam, dum vita manebat, 5
hunc validi iuvenes, hunc coluere senes.
Sed tandem fato raptus mortalia liquit
aethereique adiit sidera clara poli.

245. 6 bucina: buccina i

6 bucina rauca: cf. Verg. Aen. 11, 474-5 **8** Sarmaticas aquas: cf. Lucan. 3, 201

246. 5 dum vita manebat: cf. 24, 161; 38, 1; Verg. Aen. 5, 724 et sqq.

247

(In Amillum)

Carmina quod scribo senior, miraris Amille
optime, mirari miror at ipse tuum.
Talorum an forsan praestet consumere iactu
tempora Nyctelii muneribusque patris?
Utiliusque foret pingui indulgere culina 5
et violare toros prostibulumque sequi?
Aspice, quam multi vates gravioribus annis
dulce magis solito concinuere melos,
aspice Maeonidae senium magnique Maronis,
aspice Peligni caniciemque viri! 10
Saepe Sophocleis hominem lassante senecta
Cecropides memorant obstupuisse modis.
Nec fuit Augusto, dum mundi frena teneret,
dedecus Aoniis ludere carminibus.
Quin etiam ille Solon senior iam sumere plebem 15
compulit Actaeam versibus arma suis.
Hos tibi praepono si tandem, maxime censor,
da veniam - nimium rustica turba sumus.

248

(De sua febre)

Febre premor vates serpuntque in viscera flammae
letales, vati consule, Phoebe, tuo.
Tu medicis auctor, tua sunt et sucus et herba,

247. *in tit.* Amillum: Amyllum i

3 talorum iactu: cf. Prop. 3, 10, 27 **9** magnique Maronis: cf. Mart. 7, 63, 5-6; 11, 48, 1; 12, 67, 5 **17** maxime censor: cf. Mart. 6, 4, 1 **18** rustica turba: cf. 118, 3; 240, 8; 482, 1

248. 1 serpuntque...flammae: cf. Ov. rem. 105 **2** vati consule: cf. Ov. epist. 15, 58

suco herbisque mihi, Delie, confer opem.
An qui Pieridum studio Phoebique tenentur, 5
decretum est superis omnia dura pati?
Sic Geticum senior Naso depulsus in orbem est,
Lucanus cecidit Caesaris ense feri.
Id si fata volunt, toleremus, Delie, sortem
nos quoque decretam vatibus Aoniis. 10

249

(Ad Henricum Hrussovianum de Simone Fagello)

Exigis, ut scribam versus, Henrice, Simoni
Fagello; in silvam, vis ego ligna feram?
Porro, quisquis ei dat versus, Oceano dat
undas, dat vernas, Hybla, tibi violas,
dat pelago pisces, Campanis collibus uvas, 5
dat spicas Cereri, poma dat Alcinoo.
Cur ipsis a Gadibus optat tura Sabaeus,
cur Ligur a Scythia vina Falerna petit,
cur rex Lydorum nummos mendicat ab Iro,
cur vel ab Arvirago postulat Indus ebur? 10
Quas cui producunt sua culta novalia messes,
horrea vicini his cur vacuare cupit?
Haec a Fagello non multum abludit imago,
qui sibi multa domi nata aliunde petit.

5 Pierium studio: cf. Ov. Pont. 2, 5, 63 **10** vatibus Aoniis: cf. Ov. ars 547

249. 2 in silvam ligna: cf. Hor. sat. 1, 10, 34 **6** poma...Alcinoo: cf. Ov. Pont. 4, 2, 10 **8** vina Falerna: cf. Ov. Pont. 4, 2, 9 **10** Arvirago: cf. Iuv. 4, 126 indus ebur: cf. Claud. 7, 211 **11** culta novalia: cf. Verg. ecl. 1, 70 **13** abludit imago: cf. Hor. sat. 2, 3, 320

250

(Ad Sturnum de aula)

Nuper ad externos properantem, Sturne, penates
talibus aggressa est Calliopea modis:
"Quid facis, infelix, patrias cur improbus oras
dilectaeque tibi deseris arva domus?
Quo properas?" "Budam." "Dulces, tua cura, libelli 5
en revocant animum consiliumque tuum.
Quid tibi cum lituis et fuso sanguine, vates,
cum Wladislai denique Marte quid est?
Ille regat populos sane, moderetur et Istrum
et Byzantiaco conserat arma duci 10
et Latiae fidei veteres coniungat Athenas
barbarico Graecos eripiatque iugo,
otia grata tibi placeant et turba sororum
et mollem digitis sollicitare lyram.
Scilicet ipse feres gladium, qui plectra solebas 15
pro calamisque prement ensis et hasta manum.
Gestabit galeam, qui nuper lintea, vertex
nec capiet solitus pectora fessa torus.
Pulsa tibi placidos turbabunt classica somnos
horrisonae mentem concutientque tubae 20
nec consueta sitim restinguent pocula, ventris
nec vacui explebunt fercula nota famem.
Finge tamen bellum et Scythicas cessare sagittas
et Mahumetaeum ponere tela virum,
in medio deges populi, cui sordet Apollo, 25
materiam praebent Aonidesque ioci,
detestabuntur censentem recta superbi
officiumque suum livor iniquus aget.

250. 3 quid...infelix: cf. 284, 7; 335, 7; Ov. Pont. 3, 735 **5** quo properas: cf. Ov. ars 1, 13, 9 tua cura: cf. Verg. ecl. 1, 57; Stat. silv. 4, 4, 19 **11** veteres Athenas: Auson. Mos. 386 **19** pulsa classica: cf. Tib. 1, 1, 4 **21 – 22** ventris vacui: cf. Iuv. 15, 100

Hic in te carpet studium moresque quietos
et crescet probris criminibusque tuis, 30
ille dabit vitio nullum laesisse piumque
perverso et nimio praeposuisse modum.
Cogeris vulgi voces audire furentis
damnantisque Deum sidereosque choros
cogerisque caput multis submittere, quos nunc 35
despicis et stultos ridiculosque vocas.
Et nisi blandiri, nisi vultum fingere noris,
Arcadicum dicet femina virque pecus.
Omnia, quae populus sequitur, laudare necesse est,
si quis in hoc coetu vivere nempe cupit. 40
An quia lucra tibi fragilesque probantur honores
purpurei regis tecta sequenda putas?
At passim cernis iustis praestare nocentes
atque inopem Crasso cedere Fabricium.
Omnia cernis item nummis venalia, sola 45
sublimesque locos ambitione peti.
Ergo si lucris, si delectaris honore,
mutandum ingenium consiliumque tuum est.
Si probitas antiqua placet, quantum aspidis ictus
corporibus, tantum moribus aula nocet. 50
Flumina magna fluunt et sicut in aequora, regum
in pulchras aedes sic fluit omne nefas.
Ad nostras artes redeo dictumque laborem,
qui tibi tunc prorsus destituendus erit.
Non poteris teneri Nemesim versare Tibulli, 55
non ipsos proceres volvere Cecropios.
Conantem summi rimari arcana Maronis
turbabit variis ebria turba sonis.
Scilicet a docto fugies Helicone, poeta,
et nostros linques, barbare saeve, Lares. 60
Hactenus et Cirrhae fontem coluisse pudebit

37 vultum fingere: cf. Caes. Gal. 1, 39, 4 **38** Arcadicum pecus: cf. Auson. 5, 4
58 ebria turba: cf. Prop. 4, 4, 78; Ov. Ib. 539

et periisse tibi forte querere dies.
Saepe tuum Flaccum damnabis, saepe magistros
et noster miles transfuga vilis erit.
Pannonius quid quod vestrorum pluribus aer 65
obfuit et mortem perniciemque tulit?
Ex omni turba vix sex aut quinque supersunt,
regem in Pannoniam quae comitata fuit.
Et totidem saeva perierunt peste, quot armis
hostibus inventa est deteriorque lues. 70
Quare si studiis solitis placidaeque quieti
consultumque tuis moribus esse cupis,
desine coepta sequi temeraria, crede latere
et sub tam dulci dira venena favo."
Dixerat. Obstupui Siculo percussus ut igne, 75
erubuere genae concidit et facies.

251

(Ad Ioannem Sturnum elegia VII.)

Care viator, ades, si quaeris frigida Tempe
et gelidos latices umbriferumque nemus.
Hic Diana solet venatu lassa ferarum
formosum vitreis mergere corpus aquis.
Hoc Satyros choreis lusisse procacibus antro 5
Silenumque senem Naiadesque ferunt.
Hic memorant calamo solari Pana labores,
si quando arentes Cynthius urit agros.
Has etiam sedes Phoebus Phoebique sorores
Bellerophonteis praeposuere vadis. 10
Nycteliusque pater montanaque numina Fauni
et Dryades habitant, grata caterva tibi.

64 transfuga vilis: cf. Lucan. 5, 346 **76** erubuere genae: cf. Ov. met. 7, 78

251. 1 frigida Tempe: cf. Verg. georg. 2, 469 **2** umbriferumque nemus: cf. Verg. Aen. 6, 473 **8** arentes agros: cf. Tib. 1, 7, 21 **11** montanaque numina: cf. Ov. epist. 4, 171

Cernis, ut obtegitur viridi testudine tellus?
Irriguum ut velent frondea tecta solum?
Ut gemit amisso miserabile compare turtur, 15
ut flet Bistonium Daulias ales Ityn.
Hinc atque hinc densae tolluntur in aethere silvae
et crepitant levibus robora celsa notis.
Parte alia varios servant vivaria pisces
et natat in liquido squamea turba lacu. 20
Hic, quanquam valido latrabit Sirius astro
et feriet grando culmina, tutus eris.
Non hic Cinyphii populantur tecta leones,
nec fremit incurvo dente timendus aper.
Martis amor procul hinc crinitaque sentibus hydris 25
Tisiphone et Stygiis plena Megaera dolis.
Carmina pro lituis, pro vasto cymbala bombo
pro trucibusque sonant fila canora tubis.
Et citius manibus blandae tangeris amicae
hic, Scythicae morsus quam patiere ferae. 30
Sturnus habet regnum hoc Phoebi tetricaeque Minervae
cultor et Aoniae gloria summa lyrae.
Care viator, ades, Tempe promissa videbis,
maiora et studiis commodiora tuis.

252

(Carmen de Laelia ad Ioannem Sturnum)

Si mihi sub tali certamen iudice tecum
esset, in Idaea qualis Priameius heros

14 frondea tecta: cf. Verg. georg. 4, 61-2 **16** flet...Bistonium: cf. Ov. Ep. Drusi 106; Daulias...Ityn: cf. 14, 8; 271, 8; 357, 1; Ov. epist. 15, 154 **19** vivaria pisces: cf. Namat. 1, 379 **20** squamea turba: cf. Nemes. ecl. 4, 28 **24** dente...aper: cf. 312, 6; Ov. epist. 4, 104 **25** Martis amor: cf. Flacc. Arg. 6, 156 **28** fila canora: cf. Claud. rapt. Pros. praef. 2, 9 **31** tetricaeque Minervae: cf. Mart. 10, 120, 14 **32** Aoniae lyrae: cf. Ov. am. 2, 18, 26

252. 2 Priameius heros: cf. Homer 271; 260

valle fuit, quisnam dubitat, cui palma daretur?
Nostra sed in Sturni quoniam victoria pendet
arbitrio, cuius letali Musa veneno 5
imbuit ingenium, validae diffidere causae
quo sinor. An tandem caram, male sane, puellam
deseris et veteres flammas mutare recenti
igne iuvat dubiamque fidem praeferre probatae
Calliopenque meus Sturnus Clioque sequetur, 10
Laelia cui noctu, cui Laelia luce sonabat?
In cuius gremio requiescere regna putabas
maxima, quae tecum silvas peragravit et antra
et legit flores, viridantem saepe coronam
imposuit capiti, dulces et carpere somnos 15
cuius in amplexu paradisum, Sturne, Tonantis
credebas. Praestat nimium impallescere chartis
Aonii? Versare manu ridenda Maronis
somnia, Maeonidae et caeci figmenta? Vagari
per mare Dulichium tantique carere puella est, 20
Sturne, tua, vitare cibos, vitare Lyaeum,
surgere sub galli cantum, redolere lucernam
Palladis, ut pueris placeas dictataque centum
sufficiant tecum studiis vigilique labore?

Imperfectum.

Qua re? Quia gloria doctos 25
aeternumque manet nomen volitantque per ora.
Scilicet id manes curant pressosque tenebris
gloria sollicitat.

17 impallescere: inpallescere **i**

14 legit flores: cf. Ov. met. 4, 315 **15** carpere somnos: cf. Verg. georg. 3, 435 **17** impallescere chartis: cf. 244, 45; Pers. 5, 62 **20** carere puella: cf. Ov. ars 2. 249 **22** sub...cantum: cf. Hor. sat. 1, 1, 10 **23** dictataque centum: cf. Pers. 1, 30 **26** aeternumque...nomen: cf. Verg. Aen. 6, 381 volitantque per ora: cf. Verg. georg. 3, 8

An tandem haec merces, nec contingentia sensus
praemia, sufficiunt? Quid prodest fama Platoni? 30
Quid vati Ismario? Praeponet Gallus amicam,
optio si dabitur, Phoebo doctaeque cohorti
abiectaque lyra Nemesim retinere Tibullus
tentabit famamque viris, qui proelia curant,
committet, quamvis Trebia Cannisque relictis 35
Hannibal in Capua mallet senuisse. Lacertis
dum recubat dominae Pelides, vivit et arma
contemnit Troum, nec quid patrat inclitus Hector
inquirit; nimio postquam sed laudis amore
accensus properat miserandi fata Patrocli 40
ulcisci magnaeque evertere moenia Troiae
funditus, occumbit Paridis Phoebique sagittis.
Musa Tomitanas Nasonem misit in oras,
perdidit Annaeum gladio, privavit Homerum
Stesichorumque oculis, tragicis nec saeva pepercit. 45
Hunc sed lapsa polo testudo peremit, at illum
discerpsere canes. Haec dona rependit Apollo?
Has referunt Musae grates? Si denique vultus
pallidus et macies delectat, tempore noctis
si vigilare libet, pallentem Laelia reddet, 50
bracchia macra dabit Venerisque ad bella lacessens
excutiet somnos. Ah falli, Sturne, Thaliae
desine pollicitis nostroque illabere tecto,
tunc ego te cinctum manibus pedibusque fovebo,
tunc et in amplexu vites hederasque tenaces, 55
basiolis conchas vincam gemituque columbas,
mobilitate rotam figuli mediumque tenente
sole diem surges, sparsos comesque capillos
pectine multifido puroque e fonte lavabis

35 Trebia Canisque: cf. Sil. 11, 345; 15, 815; Lucan. 2, 46 **37 – 38** arma contemnit: cf. Verg. Aen. 11, 161 **38** inclitus Hector: cf. Ov. met. 13, 178 **42** Paridis... sagittis: cf. Ov. met. 13, 501 **57** rotam figuli: cf. Sen. epist. 90, 31, 392 **57 – 58** medium...diem: cf. Ov. fast. 2, 164

lumina, purpureis iuvenilia tempora sertis 60
ornabis: mox alma Ceres sua munera ponet,
ponet et ipse pater Bacchus niveumque torale
insternens mensae pingues tibi Laelia turdos
scindet et Ionias volucres caroque subinde
oscula libabit Sturno. „Sapientia" dices, 65
proh, quoties? Valeant vesanaque carmina vatum
virgineusque Helicon Cirrhaeque fluenta canorae
Parnassusque biceps. Non ungues rodere certe
cedere nec pluteum cogeris, mollia semper
otia laetus ages, cerebro vertigine nulla 70
affecto nullaque oculis caligine laesis
officiumque suum facientibus auribus. Ergo
per pharetras ignesque dei, qui iactat amoris
spicula, per Venerem, per mutua gaudia lecti
perque voluptatum commercia perque iuvantes 75
corpora complexus oro: Miserere puellae,
quae tibi primitias intacti sponte pudoris
obtulit, aurifero quae plus te diligit Hermo,
quae tua cum fuerit semper, tua, Sturne, manere
expetit et tecum multos feliciter annos 80
ducere. Linque tuas Musas vanumque sonantem
desere Calliopen, soliti non iura cubilis!
Sic tibi contingant Cumaeae tempora vatis,
Nestoris et Pylii senium, sic denique magni
caelicolae tribuant votis maiora modestis. 85

67 virgineus Helicon: cf. Ov. met. 2, 219 **68 – 69** ungues...pluteum: cf. Pers. 1, 106 **70** otia ages: cf. Lucan. 2, 267 **76** miserere puellae: cf. Prop. 2, 28, 2; Ov. epist. 5, 155 **81** vanumque sonantem: cf. Flacc. Arg. 3, 198 **83** Cumaeae vatis: cf. Prop. 2, 2, 16 **84 – 85** magni caelicolae: cf. Verg. Aen. 10, 6 **85** votis...modestis: cf. Lucan. 5, 532

253

Ad Sturnum

Linque Iovem Cretenque suam, mendacia vatum
et cole veridici dogmata sancta Dei,
Iuppiter et Phoebus sunt caeli sidera, regum
corpora tantorum Styx tenet atque animas.

254

Ad eundem

Iuppiter et Phoebus Stygiis cruciantur in undis,
discipuli Christi pauperis astra tenent.

255

De Thoma Apostolo

Misit ebur nobis, gemmas et decolor Indus,
nos illi Thomam reddidimusne vicem?

256

Remedium contra avaritiam et libidinem

Florida dum tacito passu tibi defluit aetas,
in membris robur dum iuvenile viget,
incertos casus viridis meditare iuventae
et mortem et caelum Tartareasque domos

253. 1 mendacia vatum: cf. Ov. fast. 6, 253 **2** veridici dei: cf. Sen. Agam. 255

254. 2 astra tenent: cf. Ov. met. 1, 73

255. 1 decolor Indus: cf. 128, 45

256. 3 viridis iuventae: cf. Boeth. cons. 1, 1, 7 **4** Tartareasque domos: cf. Ov. fast. 3, 620

nummorumque statim cumulos et Martis honores 5
infandas Veneris despiciesque faces.

257

(Ad Sturnum)

Si male quis vivit, non vivit, Sturne. Quid ergo
dicendus facere est? Ille diu moritur.

258

(Ad Sturnum)

Xenia, Sturne, tibi misi ostendentia mentem,
tu metire animo xenia, non pretio.

259

(Ad eundem)

Quadringenti homines bellum mihi, Sturne, minantur,
imprecor his totidem, Sturne poeta, cruces.

260

(De Constantinopoli)

Conturbabantur Constantinopolitani
innumerabilibus sollicitudinibus.

5 Martis honores: cf. Sil. 10, 399

259. 1 bellum minantur: cf. Verg. Aen. 3, 540

261

(Distichon admonitorium)

Esto hilaris, quaecumque tibi contraria, forti
mente doma, vitae si tibi grata quies.

262

(Carmen reciprocum in hexametro et pentametro)

Rex superum veniens diro gladio feriet vos,
daemonibus, pie, nos, o pater, eripias.

263

(Aliud id genus vulgo serpentinum)

Invideo patribus Romanis aurea tecta,
saxea Gallorum patribus invideo.

264

(Xenium)

Citrea, Romuleis quondam vix nota colonis,
Arctoos etiam nunc adiere Lares.

265

(In solem)

Detestor solem, nimio dum torreor aestu,
hunc rursus pluvia sed madefactus amo.

266

(Contentio dominarum)

Cynthia cum Nemesi nuper super colle virenti
texebant flavis florida serta comis.
Addidit his sociam sese pulcherrima Thais
femineique decus Laodamia chori.
His certamen erat, non quale in vallibus Idae 5
fax patriae vidit perniciosa Paris,
sed quid in hoc esset spatioso dulcius orbe
et quid praecipue corpora nostra iuvet.
Gnosiacas Nemesis vites Bacchumque probavit,
praetulit Hyblaeos Laodamia favos. 10
Cynthia sed sucum laudavit harundinis; inde
dulcior est iuvenis, Thais, amatus, ait.

267

(De Sturno)

Nuper in umbrifera Sturnus convalle sedebat,
qua rigat Arctoos frigidus Ister agros.
Iuppiter hunc vidit mulcentem sidera cantu,
aequantem tuos, Calliopea, modos.
Continuo volucris faciem mutavit et ora 5
humanasque manus, bracchia, crura dedit.
Addidit et pedibus digitos nervisque vigorem
imposuitque humeris fortia colla suis.
Pro pennis mentum cumulavit crine caputque
vestivitque aliis cetera membra pilis. 10

266. 6 fax patriae: cf. Cic. dom. 102, 72, 2 **7** spatioso orbe: cf. Ov. am. 3, 2, 69 **10** Hyblaeos favos: cf. Claud. 14, 8

267. 8 fortia colla: cf. Nemes. 4, 35

Omnia sunt hominis, sunt costae suntque lacerti,
  sunt femora et tali, pectus, utrumque latus,
voce tamen veterem naturam ostendit adhucque
  mellifluum loquitur mellifluumque canit.

268

(Ad Ioannem Sturnum)

Sturne, Caballinae non despiciende cohorti,
  Sturne, avium quondam gloria, nunc hominum,
quid iuvat adversum modicos contendere nostros
  versibus et mentem sollicitare tuis?
Non certe in culicem Gangetica belua fertur
  nec pavidum leporem tigris ad arma trahit.
Cum Pandionia non cantat hirundine cygnus
  currere cum pigro nec bove novit equus.
Tollimus en digitum: „Tecum est victoria, victo
  parcere victorem, Sturne poeta, decet.

269

(Ad Ioannem Sturnum)

Quod tibi nulla diu iam misi carmina, vatem
  ignavum censes, Sturne poeta, tuum.
Aspice sed, veniens ut nostros vilicus agros
  fenisecae dicat poscere prata manus,
aspice, flava Ceres falci matura recurvae,
  ut teneat mentem sollicitetque meam.
Quin etiam Mavors passim fera concutit arma

268. 7 Pandionia: Pandiona i

2 avium gloria: cf. Ov. am. 2, 6, 20 **6** pavidum leporem: cf. Hor. epod. 2, 35

269. **7** concutit arma: cf. Ov. met. 1, 143; 7, 130

et teneram impediunt cornua rauca lyram.
Fluctibus in tantis quisnam, precor, optime Sturne,
esse potest Phoebo carminibusque locus? 10
Haec inter certe reticebat Musa Maronis,
mutus erat Naso Maeonidesque senex.
Noli igitur veterem, quaeso, damnare sodalem
desidiae; venia dignior ille tua est.
Si tamen hi motus rerum quandoque quiescent, 15
carmina si dederis, carmina, Sturne, feres.

270

(De Sturno)

Quis colit has aedes? *Sturnus*. Quis? *Scilicet ille*
Sturnus, Hyanteae semper amicus aquae.
Hinc abeo. *Quare?* Fugio penetralia Sturni.
Miror, nam doctis is patet hospitibus.
Non patet at nobis, sed nos contemnit et odit 5
nostra. *Tuum nomen dic mih!* Barbaries.
Barbara cum placeat Sturno, cum denique barba
nescio cur solam barbariem caveat?
Illecebris captus verborum, me, quia linguae
sum rudis, a Laribus pellit ubique suis. 10
I procul a Sturno, quod si deprenderer istic,
non frustra dices: „Ora Cyclopis habet."

271

(In tempus brumale)

Hibernum iam tempus adest fluviique quiescunt

8 cornua rauca: cf. 34, 64; 237, 12; Claud. 2, 5, 57-8

270. 2 Hyanteae aquae: cf. Mart. 12, 2, 12 **9** illecebris captus: cf. Amm. . 27, 5, 8, 41, 15 **10** Laribus pellit: cf. Claud. 1, 3, 191 **12** ora Cyclopis: cf. Ov. met. 14, 174

durati glacie, ratibus vada pervia quondam
et celeres peragrant currus nivibusque teguntur
culmina villarum: non terram candida pingunt
lilia, non violae, sterilis sine gramine campus 5
obductusque situ repetit felicia veris
tempora: conticuit volucrum sonus, ipsa recusat
Daulias ales Ityn solita deflere querela.
Annosae quercus annosaque robora nullis
velantur foliis nec flavas pampinus uvas 10
protegit, assiduo Boreas eurusque notusque
fundamenta parant terrae subvertere flatu:
albicat omnis ager, non tauri mollia carpunt
pabula, non lentas salices cytisumve capellae,
lanigeros etiam stabulis et ovilibus agnos 15
pastores servant et frustra turba luporum
esuriens ululat, densa et caligine tellus
cingitur et mundo nebulae imposuere tenebras.
Talis Hyperboream Scythiae vergentis in Arcton
horrificos montes et nescia vere remitti 20
arva colit populus radiisque per invia Phoebi
quaeque nec autumnus pomis nec messibus aestas
condecorat, squalent agri Nemeaeaque cessat
belua nec tepidus dissolvit Cancer adustam
frigore perpetuo terram nullique coloni 25
vomere ferrato rediviva novalia versant.

271. 8 Daulias...Ityn: cf. 14, 8; 251, 16; 357, 1; Ov. epist. 15, 154 **9** annosaque robora: cf. Lucan. 9, 449 **10** pampinus uvas: cf. Verg. georg. 1, 448 **13 – 14** carpunt pabula: cf. Ov. met. 4, 217 **15** ovilibus agnos: cf. Sil. 15, 708 **16 - 17** turba luporum: cf. Sil. 7, 129 **17** densa...caligine: cf. Sil. 8, 44 **19** Scythiae vergentis: cf. Claud. 1, 3, 323 **20** nescia...remitti: cf. Lucan. 1, 17 **23** squalent agri: cf. Claud. 18, 244 **25** frigore perpetuo: cf. Ov. Pont. 2, 7, 72

272

(Ad Sturnum)

Sturne, Cirrhaeae decus omne turbae,
cui comas cinxit viridante lauro
Phoebus et docto tribuit bibisse
  fonte sororum,

utquid hortaris modica carina 5
aggredi vasti rabiem profundi
Aesonis prolem Danaosque longe
  ducere reges?

Dum petit caelum liquidumque findit
aerem pennis temereque magna 10
audet, immensae dedit ecce nomen
  Icarus undae.

Alta describant alii patrumque
inclitos cantu referant triumphos,
hostium caedes madidamque multo 15
  sanguine terram.

Nos fides parvas sequimur chelymque
mollibus nostram digitis ferimus
et tubam Sturno Geticique Martis
  linquimus arma. 20

273

(De Francisco)

Pallada Franciscus quondam Phoebumque colebat

272. 4 fonte sororum: cf. Mart. 4, 31, 5 **15 – 16** multo...terram: cf. Ov. met. 1, 157 **19** Geticique Martis: cf. Auson. ep. 26, 7

Pierioque lacu iam bibiturus erat,
invidit Venus alma viro laqueosque tetendit,
femina qua tacitum corpore vulnus habet.
Unde velut quondam Phrygiae sub collibus Idae, 5
nunc cedit Gnidiae flava Minerva deae.

274

(De contentione amantium)

Formosa es nimium, nil te mihi dulcius ipsa,
da noctem. *Vacuis nil mihi cum loculis.*
Admitte in lectum. *Faciam, si decidet imber*
aureus. At pereo. *Vel moriare, licet.*
Nulla puella preces fidi contemnit amantis. 5
Omnis amans largas debet habere manus.
Dona meretrices poscunt. *Florentibus annis*
aetati fessae consuluisse decet.
At capies nummos. *Nostris cingere lacertis.*
Pulchrior es ipsa, crede mihi, Venere. 10
Frustra blandiris, da tantum munera. Quid tum?
Excipiere meo nocte silente toro.
Tunc dabo, cum veniam. *Ludas ambagibus, ut vis,*
quod cupis, haud capies, quod volo, ni dederis.

275

(Ad Franciscum)

In teneram iactas oculos, Francisce, puellam
teque iuvat ludus colloquiumque suum,

273. **4** tacitum vulnus: cf. Verg. Aen. 4, 67 **6** Gnidiae deae: cf. Mart. 13, 66, 2 flava Minerva: cf. 315, 2; 426, 6; Ov. am. 1, 1, 8; fast. 6, 652

274. **3** imber aureus: cf. Namat. 1, 360 **12** excipiere...toro: cf. Ov. epist. 16, 284

forsan et amplexus et mollia basia captas;
vinceris, castus sis licet Hippolytus.

276

(In Sturnum)

Consurgant venti, stringatur frigore tellus,
flumina consistant, nix tegat alta domos,
omnia despiciet Sturnus, si candida tantum
haerebit lateri Deidamia suo.

277

(In eundem)

Desine, Sturne, faces Veneris laudare profanas
aligerique iugum desine ferre dei,
nempe dies veniet, ventrem qua ponere, pellem,
et solitos mores deseruisse decet.

278

(In eundem)

Ad me formosae veniunt en sponte puellae
colloquiumque optant, optime Sturne, meum,
at te despiciunt. Qua re? Quia falce minaris,
ipse ego sum casto castior Hippolyto.

276. 2 nix tegat alta: cf. Ov. met. 1, 50

278. 4 castior Hippolyto: cf. Mart. 8, 46, 2

279

(In eundem)

Effigiem moresque tuos vix magnus Homerus
 Ascraeusque senex cantibus exprimeret;
sed tibi ni testes cultro tollentur acuto,
 forsan pro Hippolyto, Sturne, Priapus eris.

280

(Ad eundem)

Ad mea purpureae veniunt quod tecta puellae,
 diceris invidia, maxime Sturne, premi.
Desine, non ad me veniunt, sub nomine nostro
 accedit Sturnum sed Dorothea suum.

281

(Ad eundem)

Rivalem si, Sturne, potes tolerare patique,
 ut premat alterius Laelia cara torum,
colla maritalique statim submitte capistro,
 Francisci et Lucae magnus amicus eris.

282

(De domina sua)

Miratur Nemesim lascivi Musa Tibulli,
 at nos Carlotam praeferimus Nemesi.

281. 3 maritali capistro: cf. Iuv. 6, 43

Illius obsceni passim narrantur amores,
  Carlotae probitas cuncta per ora volat.

283

(De eadem)

Dulcibus illecebris et multo dicitur auro
  Carlotam Henricus sollicitare meam.
Indignor voluisse quidem, sed flumina sistet
  atque sua citius sede movebit Athon.

284

(In Henricum)

Uritur Henricus gemina face, torquet Apollo
  scilicet Henricum, torquet et ipsa Venus.
Mitigat ardorem Phoebi tamen umbra merumque,
  urentem nemo mitigat at Venerem,
Margareta quidem multos dilecta per annos 5
  laeditur Henrici religione sui.
Quid facis, infelix? Cur te fera vinxit Erinys?
  Cur fugis ecclesiae, vir male sane, sinum?
Non solum caelos, non solum sidera confert
  vera fides, etiam conciliat dominas. 10

285

(In eundem)

Religio quantum noceat mala, verba puellae
  hoc, Henrice, docent, ecce, superba tuae,

282. 4 per ora volat: cf. 197, 6; 498, 2; Verg. georg. 3, 9

284. 7 quid...infelix: cf. Ov. am. 3, 2, 71; ars 3, 735

quae nuptura tibi teque acceptura lacertis
  iamque fuit thalamos quae subitura tuos.
En, nunc errantem nullo dignatur honore 5
  haereticumque fugit religiosa sinum.

286

(Ad Sturnum)

Cuius opus, Sturne, es? *Patris caraeque parentis.*
  Ad quid barba tibi? *Penna tegit volucres,*
barba viri mentum. Niger es. *Danaeius heros*
  dicitur Andromedes at caluisse face.
Exiguum sed corpus habes. *Calydonia proles* 5
  corpore parva fuit, maxima consilio.
Displicet at facies formosis hirta puellis.
  Displiceat facies, cetera dum placeant.
Pauca nimis loqueris. *Sed multa lyraeque chelysque*
  pulsa fides. Satis est. I procul atque vale. 10

287

In eundem

Unde tibi gressus, qualem Vulcanus habebat,
  luxatique dolor, Sturne poeta, pedis?
An quia capturus laqueis viscoque volucres
  scandebas nemoris frondea tecta mei?
An, dum Taenariae luctaris more palaestrae, 5
  causa fuit lapsus lubrica tela tui?
Num, quando insequeris violentos fortiter hostes,
  aut muros nostrae providus arcis obis?

286. 3 Danaeius heros: cf. Ov. am. 3, 6, 13; met. 5, 1 **10** pulsa fides: cf. Prop. el. 3, 13, 49

287. 3 visco volucres: cf. 34, 70; 157, 17; 331, 3 **4** frondea tecta: cf. Verg. georg. 4, 61-2

An cum dilectae lecto deprensus amicae,
saeva maritalis defugis arma manus, 10
scilicet ex alta cecidisti, Sturne, fenestra
servasti laeso testiculosque pede?

288

De domina sua

An mea Tyndaridi par sit Carlota, requiris?
O te Phoenicem Tiresiamque novum.
Formosa est Helenae facies formosaque membra
formosisque tegit candida colla comis,
hanc animi probitas, hanc omnis denique virtus, 5
hanc ornant lepidis seria mixta iocis.
Carlotae sanctos mores vitamque pudicam
mundus, Ledaeae cantat adulterium.
Illa libidinibus clara est, haec clara pudore,
et, quae sit, dubitas, anteferenda, tamen? 10

289

In Lucam

Dicitur, Anna, tibi Lucas spondere cothurnos
atque pudicitiam sollicitare tuam,
desine spondenti nimium sed fidere Lucae,
blanditiisque suis ne moveare, cave.
Ut lupus insidias pecori, sic ipse pudori 5
tendit et ad Veneris provocat illecebras.
Accipitris fugiunt ungues et rostra columbae,

10 defugis arma: cf. Homer 260

288. 5 animi probitas: cf. Mart. 11, 103, 1 **6** seria...iocis: cf. Claud. 2, 22, 165 **7** sanctos mores: cf. Iuv. 10, 298

289. 5 lupus...pecori: cf. Verg. ecl. 5, 60

non aliter Lucam, si sapis, Anna, fuge.

290

(Ad Sturnum)

Ut sese gessit sponsus, si, Sturne, requiris,
e paucis poteris noscere versiculis.
Accessit socerum siquidem stipante corona
multorum iuvenum discubuitque simul.
Cretica vina bibit, volucres piscesque comedit, 5
saltavit, risit conseruitque latus.
Intravit thalamos tandem, zonamque resolvit
virgineam domina dulce gemente sua.
Surrexit pallens, Baccho Cererique vacavit,
ad gratum rediit luce abeunte torum, 10
qua redeunte patris cari sub tecta revertit.
Hi sponsi mores, haec quoque vita fuit.

291

(Ad Boream)

Quid facis, o Borea? Num te calor Orithyiae
detinet et veteri captus amore venis?
Si calor in causa est, cur tanto frigore spiras,
improbe? Cur tua vis tecta domosque rapit?
Cur densis nivibus montes complentur et arva? 5
Non amor, o Borea, sed furor ista facit.

290. 3 stipante corona: cf. Stat. Theb. 1, 612 **7 – 8** intravit thalamos: cf. Ov. met. 2, 797 zonam...virgineam: cf. Catul. 67, 28 **9** Baccho Cererique: cf. Verg. ecl. 5, 79

291. 2 et **d** an **o** **3** tanto frigore spiras **d** spiras frigore tanto **o**

1 Borea...Orithyiae: cf. Ov. am. 1, 6, 53 **4** tecta domosque: cf. Lucan. 7, 828; Sil. 2, 408

Unde tamen furor hic? Quoniam fortasse recusat
amplexus gelidos Orithyia pati.

292

De Petro Bolesio

Dum peteret Romam Petrus culpasque piare
atque animae cuperet solvere vincla suae,
uxori fidei pueros commisit et omnes,
temporibus multis quas cumulabat, opes.
Visa gravis tanta est dominae provincia maior 5
et, mulier possit quam tolerare, labor.
Praeposuit domino iuvenem, qui vellere nondum
vestivit mentum purpureasque genas.
Ingenium laudo mulieris, quippe culinae
vel praesente viro consulet hic melius. 10

293

Ad virginem amatore carentem

Cum genere et proavis praestes vultusque decore
aurataque coma purpureisque genis
cumque tui placeant artus et lactea colla
candidulaeque manus candidulique pedes,
cur tibi legitimus, miraris, desit amator, 5
castior, o casta, Lydia, Penelope?
Si non, crede mihi, dentes cernuntur eburni,
non hoc spectatur tempore nobilitas,
non sancti mores, non purae gloria mentis,
aemula non claris lumina sideribus. 10

292. 7 domino: domini i

2 solvere vincla: cf. Catul. 64, 367 **10** praesente viro: cf. Catul. 83, 1

293. **10** lumina sideribus: cf. Mart. 4, 42, 7

Secum habeat nummos, villas, armenta, necesse est,
  nubere vult digno si qua puella viro.

294

Ad Phoebum

Unde calor tantus? Caelo Clymeneia proles
  an volat et volucres non bene frenat equos?
Num nova fax urit radiis Hyperiona cinctum
  et rursus duplici forsitan igne calet?
Desine sed, Paean, geminis nos urere flammis,
  nativi nimium nempe caloris habes.
Sic tua te Daphne non dedignetur amantem
  mitius amplexus effugiatque tuos.

295

In regionem Borealem

Iam prope Phrixei vectoris cornua Titan
  detinet ignivomis irradiatque rotis,
haec tamen hibernis nivibus iacet obruta tellus,
  o regio, Scythicis solum habitanda feris.

296

Ad Sturnum

Emissus ventris crepitus conferre salutem,
  laedere sed tentus dicitur hic crepitus.
Si crepitus conferre potest et laedere ventris,
  aequabit reges viribus hic crepitus.

12 si qua puella: cf. Prop. 2, 28, 33

294. 1 Clymeneia proles: cf. Ov. met. 2, 19 **2** volucres equos: cf. Claud. carm. min. 48, 12; Boeth. cons. 4, 4, 4 **3** radiis...cinctum: cf. Ov. fast. 1, 385

297

Ad eundem

Serpentes pellem, cervi sua cornua ponunt,
accipiter pennas, dama lupique pilos.
Demuntur frumenta arvis vitesque putantur
nudaturque pecus vellere, fronde nemus.
Falx varios aufert flores et gramina pratis 5
et non vis barbam ponere, Sturne, tuam?

298

Ad eundem

Quaeris, cur nebulae densentur? Iuppiter orbem
lustrat et antiquo, Sturne, furore calet
expertasque timet furias Iunonis et iram
atque Idae nebulis vult sua furta tegi.

299

De eodem

Aurea constituit Saturnus saecula quondam,
constituit Sturnus saecula Pieria.
Ille rudes populos deduxit montibus altis
et docuit legum vincula sancta pati,
barbarie Sturnus depulsa, nostra iuventus 5

297. 4 fronde nemus: cf. Verg. georg. 2, 401 **6** barbam ponere: cf. Iuv. 14, 216

298. 4 furta tegi: cf. Claud. 10, 141

299. 3 rudes populos: cf. Stat. silv. 3, 3, 5 **4** vincula sancta: cf. Val. Max. 1, 2, 1, 7, 88, 57

Pieridum docto, praestat, ut amne bibat.
Excoluit steriles Saturnus vomere terras,
agrestes verbis excolit hic animos.
Aspera vita illi placuit moresque severi,
vestit Sturnaeas hispida barba genas.
Iuppiter est illi, sed nullus Iuppiter huic est,
consultum quoniam testibus esse cupit.

300

De amica Sturni

Caelum vesanis turbet licet aera ventis
concretisque licet rura tegantur aquis,
Orion quamvis pluvias imbresque minetur
pulsaque continua grandine tecta sonent,
pulchra tamen Glycere, fidi ne desit amantis
obsequio, Sturnum nunc petit, ecce, suum.

301

In Henricum

Henricus mentis iam dudum peste laborans
nunc etiam pestem corpoream metuit.
Aut cupit extingui fortasse Henricus, amatae
virginis ut moriens eliciat lacrimas.

8 agrestes animos: cf. Verg. Aen. 7, 482 **10** hispida barba: cf. Sil. 13, 333

300. 3 pluvias minetur: cf. Stat. silv. 1, 6, 26 **4** grandine...sonent: cf. Lucan. 3, 482 – 3 **5 – 6** amantis obsequio: cf. Ov. met. 3, 292 - 293

302

Eiusdem nomine

Ad doctos propero Bacchi pro munere fontes
frondosum linquo pro fluvioque nemus.
Deformes vetulas formosis muto puellis
dilectumque mihi muto sodalitium
cumque meos prope sim patruos fratresque futurus,
invitus solitae desero tecta domus.
Quis tamen attonitus non illi pareat, ignis
quem videat Siculi tela tenere manu?

303

Ad Sturnum

Sturne, Valentinum non dedignare poetam,
carmina nam Phoebi digna cohorte facit.
Novit et astrorum cursus artesque Minervae
quaeque Syracusio sunt meditata seni.
Ille quidem praestat studiis citharaque sonanti,
praestat et eloquio, sed probitate magis.
Nec secus ac magnum Rhodope dilexit et Haemus
Orphea, Sturneam diligit ille lyram.

304

In eundem

Sturnus arare parat, quae sunt haec monstra? Poeta
rusticus an sine equis, Sturnus arare parat?
Id certe est - procul hinc tenerae fugitote puellae,
ingenti quoniam vomere Sturnus arat.

303. 7 Rhodope, Haemus: cf. Stat. Theb. 11, 195

305

In eundem

Aethiopum color est Sturno mentumque Cyclopis
et iuvat hunc glabram candidulamque sequi.
Forte sed haud candor Sturno mentumque puellae,
sed loca nigranti vellere tecta placent.

306

(Ad Lucam familiarem)

Tonsus es in mento tonsus quoque vertice, Luca,
intonsus maneas, dic mihi, cur animo?
Num quoniam tonsor capitis mentique probatur,
polluti tonsor displicet ast animi?

307

(Ad Sturnum)

Gloria nuper eras pennatae, Sturne, cohortis,
at nunc barbati gloria summa chori es.
Penniger in liquido volitabas aere quondam,
sed nunc barbatus docta per ora volas.

308

(De eodem)

Ante Cleonaei cessabit fama leonis
et nulla Haemoniae gloria puppis erit,
quam Boreae regio doctrinam, Sturne poeta,
desinet et laudes concelebrare tuas.

308. 1 Cleonaei leonis: cf. Lucan. 4, 612

309

(Ad Sturnum)

Sturne, quid in steriles iactas tua semina sulcos
  Haemoniaque petis flumina parva rate?
Turba pusilla sumus mediaque e plebe Quiritum
  digna nec ingenio carminibusque tuis.
Magnos magna decent, Ithacum sic doctus Homerus 5
  Aeacidaeque refert fortia facta sui.
Nos canat exiguo Bavius vel Choerilus ore,
  heroas Sturnus semideumque genus.

310

De potentia Iudaeorum

Fallimur, an Solymae fient hic moenia gentis
  et recutita cohors iura dabit populis?
Plus nobis multo quoniam dominantur Apellae
  ecclesiaque istic plus synagoga potest.
Hinc procul, o genitor rerum, fuge, Christe, nefandam 5
  rursus ab Hebraeis ne patiare crucem.

311

In Nicolaum stabularium

Iussi te stabulum, iussi curare caballos,
  at tibi pro stabulo gratior est meretrix.

309. **7** Choerilus: Cherylus i

7 Bavius vel Choerilus: cf. 3, 18 Bavius: cf. Verg. ecl. 3, 90 Choerilus: cf. Hor. ars 355; epist. 2, 1, 232 **8** semideumque genus: cf. Ov. Ib. 82

310. **1** moenia gentis: cf. Verg. Aen. 7, 131 **3** Apellae: cf. Cic. fam. 7, 25, 2, 2, 231

Desine, ni mavis caedi, Niclae, flagellis;
non ego te scortis praeposui, sed equis.
Aut, Hyblaeo si redolet tibi melle lupanar, 5
lenoni servi, non, Nicolae, mihi.

312

(In Sturni discessum)

Sturnus it in patriam, superi comitentur euntem
fortunetque suum conditor orbis iter.
Non illi noceant enses aut tela latronum
tabida nec laedat pectora docta lues.
Sint procul immanes ursi rabiesque leonum, 5
sit procul obliquo dente timendus aper.
Aonidum incedat turba stipante sororum
nec desit vati clarus Apollo suo.
Adsit Atlantiades, qualis post Hectora tractum
dum Priamum Phthium duxit ad Aeacidem. 10
Nec secus atque Ithacum terrae post dura marisque
collocet optatis hunc dea flava locis.

313

(De domina sua)

Non ego rivales timeo, fiducia nostra est
tanta et Carlotae de probitate fides.

311. 6 Nicolae: Necolae **i**

312. 1 comitentur euntem: cf. 6, 3; 68, 240; 338, 11; Claud. rapt. Pros. 2, 55 **2** conditor orbis: cf. Boeth. cons. 1, 5, 1; 5, 2, 7 **5** rabiesque leonum: cf. Claud. rapt. Pros. 3, 166 **6** obliquo...aper: cf. 251, 24; Ov. epist. 4, 104 **7** Aonidum...sororum: cf. Sil. 11, 462-3 **12** dea flava: cf. Ov. am. 3, 10, 43; fast. 4, 424

313. 2 de probitate fides: cf. Auson. epigr. 39, 4

Apponant alii custodes, tutus amabo
ipse inter Samios Dulichiosque procos.

314

(De eadem)

Quod tua nec Veneri specie concedit amica,
Henrice, haud ulla tangimur invidia.
Sed probior nostra est adeoque libidinis hostis,
ut sit vel tetrico castior Hippolyto.
Et rigidi nostram patres et cuncta iuventus
Carlotam et totum denique vulgus amat.
Nam rediisse polis eiusque in pectore sedem
Astraeae fertur constituisse soror.

315

(De eadem)

Quamquam te memorant castam memorantque pudicam,
cedis Carlotae, flava Minerva, meae.

316

(Ad Carlotam)

Iudice me cunctis praestas, Carlota, puellis
et superas ipsam denique Penelopen.
Nec niveos artus in te faciemque decoram
collaque, sed mentis laudo pudicitiam.
Formosae placeant aliis, mihi casta probatur

314. 4 castior Hippolyto: cf. Mart. 8, 46, 2 **6** vulgus amat: cf. Lygd. 3, 3, 19 **7** in pectore sedem: cf. Stat. silv. 2, 3, 64

315. 2 flava Minerva: cf. 273, 6; 426, 6; Ov. am. 1, 1, 8; fast. 6, 652

316. 2 ipsam Penelopen: cf. Ov. ars 1, 477

et cui virginei cura pudoris adest.

317

(Ad eandem)

Ut mea te solam modulentur carmina, sola
ut teneas animum sollicitesque meum,
non rosei vultus nec rarae gratia formae,
sed mores faciunt, cara puella, tui.

318

(Ad Sturnum)

Vina parant animos faciuntque caloribus aptos,
si Bacchi es cultor, cultor es et Nemesis.
Gratior at Nemesis forsan spumante Lyaeo,
si tibi misissem, Sturne poeta, foret?
Accipias igitur munus, quo gaudet et ipsa
Nycteliique bibas pocula grata Dei.

319

(Ad eundem)

Quod puer optavit, donavi, Sturne poeta,
hoc fac, ut Sturnus, non Nemesis capiat.
Quod petiit, tribui, perdicem nempe petivit,
perdicem puero denique, Sturne, dedi.

318. 1 Vina...aptos: cf. Ov. ars 1, 237

320

(Ad Iovem)

Ut quid siderea venisti Iuppiter arce?
  Non hoc Europe Taygeteve loco est,
sed, quae noctivagam citius superare Dianam
  aligeri possunt tela facesque dei.

321

(De Cadmo)

Qui cupit astrorum cursus hominumque labores
  et quicquid magnum noscere mundus habet,
non Indos ditesque Arabas rubrique profundi
  litora, sed Cadmi diligat ille notas.

322

(De eodem)

Qui caelum pelagique cupit terraeque meatus
  noscere, Cadmeas diligat ille notas.

323

(In Lucam)

Luderus Musas Phoebique arcana frequentat,
  cauponam Lucas prostibulumque simul.

320. 1 siderea arce: cf. Flacc. Arg. 1, 498

321. 4 Cadmi notas: cf. Auson. epist. 12, 74-6

324

(Ad Luderum)

Pieriae salve splendor, Ludere, cohortis,
qui simul es Phoebi Palladiumque decus.

325

(In Lucam)

Callidus est Lucas quicquid loquiturque paratque,
et semper veluti morio crine caret.

326

(In eundem)

Esto memor leti, si telo urgeris amoris,
extinguit Veneris mors meditata faces.

327

(In Henricum ex Olssan)

Ambulat Henricus solito cur tristior? An quod
nupsit rivali cara puella suo?

328

(Ad Henricum ex Olssan)

Cur Henricus abit? Calicis num forte sacrati
et toties vetiti sanguinis est avidus?

324. 2 Palladiumque decus: cf. Mart. 9, 23, 2

326. 2 memor leti: cf. Pers. 5, 153 **6** in...honore: cf. Ov. fast. 6, 658

An quia despicitur teneris fortasse puellis
  nec potuit dominae iurgia ferre suae?
An quod officium tendit sublime iuvatque 5
  esse in tam magno semper honore virum?
Quicquid id est, placidis tamen hunc, precor, accipe ripis,
  Obrzistwi et vitreis nobile flumen aquis.

329

Ad Henricum ex Olssan

Pro patria, pro lege Dei succumbere pulchrum est.
  Legis habet speciem saepe superstitio.
Hausimus hanc cum lacte fidem. *Non tuta parentum*
  est via. Debetur patribus omnis honor.
Sed maior Domino. Quisnam contraria dicit? 5
  Is parere iubet pontifici Latio.

330

(Ad Franciscum)

Mi Francisce, Deum tantum superosque require
  et terram et terrae despice cuncta, precor.
Ne te decipiant formosae colla puellae,
  ne capiant animum vina Ceresque tuum,
non ludi vesanus amor, nam cuncta peribunt, 5
  iustitia at confert integritasque polos.

331

(Ad eundem)

Me miserum, quanti constabit parva voluptas
  quantaque sub modico melle venena latent?

331. **2** melle...latent: cf. Ov. am. 1, 8, 104

Ut visco volucres auceps, piscator adunco
ut ferro turbam decipit aequoream,
sic genus humanum ludit frenator Averni 5
et fallit Veneris dulcibus illecebris.
Quare age Tartareis, Francisce, resiste catenis
nec laqueo hostili te patiare capi.
Excute letales iuvenili pectore flammas
aliger eque tuo corde facessat amor. 10
Sic tibi continget caelum superosque videre,
formidare nigri tela nec ulla Iovis,
si tibi tanta sitis nummorum, quanta puellae
vicinae, nostris i procul a loculis.
Errat, Franciscum qui lucri credit amantem, 15
plus illi lucro nempe puella placet.
Sentina gravius Francisco nuper olebat,
nunc sapit Hyblaeo femina melle magis.

332

(Ad eundem)

Imperium, gemmae, thesauri, purpura, vestes,
nobilitas, libri, vivaria, tecta, puellae,
marmora, pyramides, spirantia signa, colossi
non secus ac fumus pereunt; mens casta, pudicum
pectus, amor recti, variae prudentia laudis 5
contemptrix, animus iusti servator et aequi
veraque religio durant nec saxa nec ignes
nec metuunt ferrum vastoque crepantia bombo
aera nec armatos arcus nec fulmina; rident
Dardanias vires Romam Scythicasque pharetras, 10

3 visco volucres: cf. 34, 70; 157, 17; 287, 3 **9** excute...flammas: cf. Ov. met. 7, 17 **12** nigri Iovis: cf. Stat. Theb. 2, 49; Sen. Herc. O. 1705 **17** sentina gravius: cf. Iuv. 6, 99

332. 3 spirantia signa: cf. Verg. georg. 3, 34 **6** iusti...aequi: cf. Auson. Mos. 387 **10** Scythicasque pharetras: cf. Luc. 8, 302

fidentes dolis Poenos Erebique tyrannum
spernunt; et placidae dubitas, Francisce, catenae
subdere cervicem miserumque relinquere mundum?

333

(Ad Lucam)

Unde trahat Lucas nomen, vis noscere? Dicam:
Lucia nocte illi, sed lucra luce placent.

334

(Ad Franciscum)

Funera cum semper videas regumque ducumque
rectoresque mori populi cum paupere vulgo
admixtosque rudes doctis tenerasque puellas
non secus ac vetulas fato succumbere cumque
clara serenati spectes tot lumina caeli 5
ignarasque mali sedes, ubi victor Averni
sanctorum cum turma habitat, cur, quaeso, recusas
colla cuculliferae submittere prona catervae
undisonasque huius mundi vitare procellas
sidereasque domos meditari et facta piorum? 10

335

(Ad eundem)

Gloria, nobilitas, aurum, vivaria, gemmae,
imperium, vires, marmora praetereunt
at rectum durat, virtus moresque pudici,

334. 4 fato succumbere: cf. Val. Max. 1, 3, 2, 7, 160, 92 **5** serenati caeli: cf. Stat. silv. 1, 2, 51

335. 3 moresque pudici: cf. Ov. met. 7, 734-5

mens humilis, pietas, religionis amor.
Sed Franciscus adhuc fallaces linquere curas 5
et sancto differt subdere colla iugo.
Quid facis, infelix, fluxae nec gaudia vitae
quam primum et mundi deseris illecebras?
An tibi blanditur viridis fortasse iuventa?
Instat pro foribus mors violenta tuis. 10
Dum ludis, cantas, rides comedisque bibisque,
ex tepido et dominae te rapiet gremio.
Quid tibi tunc fiet? Caelos habitabis an Orcum?
Nunc animae potius consule, quaeso, tuae.

336

(In Marcum)

Marce, cupis dominae crispis placuisse capillis?
Erras, nam loculos plus amat illa comis.

337

(In Henricum)

Henrici quicumque animum mutare laborat,
siccare Oceanas ille laborat aquas.

338

(In Henricum)

Accipe, contemptor divini iuris, et audi
me puerum, qui vera loquor meritoque probandus

4 mens humilis: cf. Stat. Theb. 10, 363 **6** subdere...iugo: cf. 497, 30; Stat. Theb. 1, 175 **7** quid...infelix: cf. 250, 3; 284, 7; Ov. am. 3, 2, 71; ars 3, 735 **10** mors violenta: cf. 55, 74; 77, 29; 492, 6

omnibus, astrigeri cupiunt qui scandere caeli
atria! Nam quae te, quaeso, dementia cepit,
aut quo stulte paras nigrumque intrare barathrum 5
cur properas? Dum tempus adest, dum vita superstes,
desere perfidias, corruptos desere mores
matris et ecclesiae sanctas amplectere leges.
Pone, precor, fastum, miserandum pone furorem,
dum licet et dominus mundi sinit. Ecce senectus 10
adventat pulsatque fores, comitantur euntem
millia morborum letique pericula, quot nec
gignit Hymettus apes! Iam iam te Tartarus ingens
expectat, iam si qua latent feralibus umbris
monstra, faces in te stringunt, iam sibilat anguis, 15
Tisiphone sperat terrae omniparentis alumnos;
Iam requiem vacuasque tibi dant Belides urnas,
porrigit Aeolides saxum Phlegethonque quiescit
in poenas, Henrice, tuas. Tunc tincta veneno
pocula damnabis, calicem tunc iure profanum 20
despicies, flammas luitura superbia iure
tunc tibi foetebit. Sed, si sapis, accipe fidum
consilium gremiumque tuae, periture, parentis
et Christi caulas post tot delicta require.

339

(In eundem)

Huc huc, o iuvenes, o pueri simul,
huc huc ligna, faces ferte citi, precor,
arreptum manibus tollite, tollite,
Henricum liceat perdere perfidum,
qui leges hominum despicit et Dei. 5

338. 3 astrigeri: cf. Mart. Cap. 91, 25, 14 **4** quae...cepit: cf. Verg. ecl. 2, 69; 6, 47 **6** vita superstes: cf. Lucan. Phars. 8, 28 **11** comitantur euntem: cf. 6, 3; 68, 240; 312, 1; Claud. rapt. Pros. 2, 55 **15** sibilat anguis: cf. Lucan. 6, 670 **16** terrae...alumnos: cf. Verg. Aen. 6, 595 **17** Belides...urnas: cf. Stat. Theb. 12, 470

Arreptam pedibus tollite, tollite
morbosam pecudem, ne scabie gregem
illaesum maculet, perdere nos decet.
Arreptum subito tollite, tollite,
flammis nempe malos urere gloria est. 10
Iam iam tot scelerum supplicium luat,
arreptum subito tollite, tollite,
hi dorsum feriant fustibus, hi caput,
hi vultum facibus flammivomis petant,
arreptum subito tollite, tollite. 15

340

(Ad eundem)

Nos quoque, si nescis, seducti fraude malorum
his fuimus calicemque tuum diligimus, at nunc
edocti melius Petro Petrique cathedrae
haeremus. Nostro tandem moveare, precamur,
exemplo et verbis non claude salubribus aures. 15

341

(Phoebus ad Aeolum)

Aeole, tene tuis clausit Neptunus in antris
nuper, ut Iliacam vexasti per freta gentem?
Cur igitur tantis iterum furis improbus euris
curque novos audes furiosior usque tumultus
per gentes reparare pias, nec parcere sacris 5
Aonidum domibus? Stridore et turbine iniquo
cuncta rapis vacuas tecum verrisque per auras,
numine nec nostro furias placare superbas,
nec vires minui pateris, nec murmura ponti.
Irruis insanus, turbas citharamque chelymque 10
quicquid et egregium condunt aut dulce sorores,
ipse fremens volvis totum subdisque procellis.

At nisi speluncam repetiveris, Aeole, nigram,
nostris collisus telis solveris in umbram.

342

(In Franciscum)

Aonides olim, Pallas Phoebusque placebant
Francisco, sed nunc rustica festa placent.

343

(In quendam)

Iam tibi continua est dilectae cura sororis,
ut dubitem, ne sit forsan amica soror.

344

(In quandam)

Cur mihi non dederit fidum fortuna maritum,
miraris? Miror, sed tibi quod dederit.

345

(In Lucam)

Desine Iudaeos, vesane, lacessere, Moses
si veniet, rubrum vix fugies Pelagum.

346

(De Luca)

Sunt duo barbati, quos Lucas diligit: alter
Aonio sacer est Palladioque choro,

alter formosae latitat sub ventre puellae,
cui Venus alma praeest et pharetratus Amor.

347

Ad Ioannem Knobloch

Vipereus quoties tibi sibilus intonat aure,
hoste velut ferro terga premente fugis.
Femineos audis cantus - dat vipera pestis
non tantum, quantum vox muliebris habet.

348

In persona Georgii, morionis sui

Morio sum, caedor, colaphis verbisque lacessor
nec mihi nocte datur nec mihi luce quies.
Me tamen extinctum nitidi penetralia caeli,
at vos caedentes Tartara forte manent.

349

Ad Georgium, morionem suum

Sperneris in terris quanquam, vesane Georgi,
et multos colaphos, multa flagella feras,
sed tamen in caelo ducibus praestabis et ipsa
stultitiae cedet philosophia tuae.

350

(In campanam)

Hanc tibi campanam, spatiosi conditor orbis,
Lobcovicaea dicat soboles, Nicolaus, et orat
illius ut sonitu requiescant aetheris irae
et populi delubra petant fundantque Tonanti
vota piasque preces animae tandemque sepultis
corporibus supra ducantur in atria caeli.

351

(In somnum)

Cur mea, somne, precor, non claudis lumina? Numquid
quod, quae luce tenes corpora, nocte fugis?

352

Ex Graeco

Interitum defles cur, quaeso, coniugis, uxor,
cum melius tumulo, quam thalamo recubat?

353

Aliud

Virgo sit an mulier tua filia, quaeris, amice?
Luce quidem virgo, nocte sed est mulier.

350. 2 Nicolaus: Necolaus i

1 conditor orbis: cf. Boeth. cons. 1, 5, 1; 5, 2, 7 **6** atria caeli: cf. Stat. Theb. 1, 197

352 2 cum: quum

354

E Graeco

Arguis assidue Paridis factum et Menelai,
quot tua, sed nescis, uxor habet Parides.

355

Aliud

Accusas Parides, accusas et Menelaos,
at tua complures uxor habet Parides.

356

(De Sturno)

Ennius emeruit Calabris in montibus hortos,
dum caneret laudes, Scipio magne, tuas;
praemia quae Sturnus qualesqve merebitur hortos,
qui tanti regis bella togamque canit?

357

(De eodem)

Nec Phoebum Musae nec Sturnum Daulias ales
cantibus altisonis exsuperare potest.

354 cf. AG 11, 278 (Luc.) Ἔξω παιδεύεις Πάριδος κακὰ καὶ Μενελάου ἔνδον ἔχων πολλοὺς σῆς Ἑλένης Πάριδας.

355 cf. AG 11, 278 (Luc.) Ἔξω παιδεύεις Πάριδος κακὰ καὶ Μενελάου ἔνδον ἔχων πολλοὺς σῆς Ἑλένης Πάριδας.

356. 1 - 2 Ennius...magne: cf. Ov. ars 3, 409-10

357. 1 Daulias ales: cf. 14, 8; 251, 16; 271, 8; Ov. epist. 15, 154; Sen. Herc. O. 192

Cultior Aonio versis certamine picis
  Sturnus in exiguis hic habitat Laribus.

358

(Ad eundem)

Munera pro numeris si speras, Sturne poeta,
  falleris et nobis dexter Apollo favet.

359

(In Henricum)

Quid sibi vult macies et quid suspiria crebra
  Henrici et quid vult denique pallor? Amat.

360

(In eundem)

Luscus et haereticus iusto sub iudice certant
  et nemo haeretico dubitat praeponere luscum.

361

(In eundem)

Si, quicquid Samii docuit sententia, verum est,
  Henricus fiet nil nisi noctis avis.

358. 2 dexter Apollo: cf. Stat. silv. 5, 1, 13

359. 1 suspiria crebra: cf. Sil. 17, 215

362

(E Graeco)

Dum fugis a Phoebi, virgo Peneia, lecto,
innumerabilium lectus es ecce virum.

363

(Ad Sturnum)

Non amor id praestat, sed nummi, Sturne, cupido,
quod venit ad solitum Lesbia pulchra torum.

364

(Ad eundem)

Dum lux, Calliope, dum nox est, Laelia vincat,
hoc est iudicium, Sturne poeta, meum.

365

(De eodem)

Ut quid, Phoebe, taces et tu, Cyllenia proles
totaque Pieridum contio? Sturnus abest.

362. 1 Dum fugis a ... lecto, innumerabilium lectus es ... virum: cf. AG 9, 529 (εἰς κλινάριον πόρνης ἀπὸ δάφνης) Λέκτρον ἑνὸς φεύγουσα λέκτρον πολλοῖσιν ἐτύχϑη.

365. 2 contio: concio i

366

In Georgium Kfeller

Dic mihi, cur cessas uxorem ducere? Numquid
  fastidit stomachus fercula nota tuus?
Obtinet imperium vel maius Sardanapalo,
  spemque metumque animi qui ratione fugat.

367

Ad Matthaeum Domaslavium

Virtutem colito - nec enim regnator Olympi
  mortuus est, quanquam fulmina nulla iacit.

368

In momum

Invide, vipereo quoties me dente lacessis,
  gaudeo, nam laus est displicuisse tibi.
E patria fugiunt, cupiunt qui vivere recte,
  in patria quoniam vix licet esse bonum.

369

In divitem superbum

Tu, qui nunc nimium gemmis auroque superbis,
  dic mihi, num talis, cum morieris, eris?

367. 2 cf. 35, 17-18

370

Ex Hesiodo

Parvula si parvis crebro superaddere tentes,
idque diu peragas, grandis acervus erit.

371

In Martinum Aethiopem

Maurus amat niveas, nigras fugit. Errat, amicum,
quisquis erat, dixit qui simili simile.

372

Consolatio

Qui miser in terra es, forsan gaudebis Olympi
in Laribus magnos despiciesque duces.

373

(In quendam)

Terrori tam fracta tibi candela, Georgi, est,
quam sunt tela aliis armiferaeque acies.

374

(In Iovem)

Iuppiter immensum nivibus cur contegit orbem?
Num plumis cygnum dissimulare cupit?

370. cf. Hes. Op. 361-362 εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο

375

E Graeco

Aedificare domos, ventres explere voraces
ad paupertatem proximus est aditus.

376

De pudore

Cum pudeat Veneris coram mortalibus, ut quid
non pudet ante Deum caelicolasque suos?

377

E Graeco ad improbum

Fallit te speculum; nisi falleret, improbe, foedam
non faciem toties in speculo inspiceres.

378

In praeposteros

Noscere cum terram, caelos cupiamus et aequor,
nos ipsos quare noscere negligimus?

375. cf. AG 10, 119 Σώματα πολλὰ τρέφειν καὶ δώματα πόλλ' ἀνεγείρειν ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

377. cf. AG 11. 266 (Luc.) Ψευδὲς ἔσοπτρον ἔχει Δημοσθενίς· εἰ γὰρ ἀληθὲς ἔβλεπεν, οὐκ ἂν ὅλως ἤθελεν αὐτὸ βλέπειν.

379

E Graeco

Tanta mei sexus sum gloria Lesbia Sapho,
Maeonides sexus gloria quanta sui.

380

In aedes Sturni

Δώματα ταῦτα νεᾳ Στοῦρνος, μέγα κῦδος ἀοιδῶν,
καὶ μετὰ ταῖς Μούσαις Παλλάδα τ' αἰδέεται.

381

Ad Psarum

Τεύχεσιν οἱ λαοὶ χαίρουσιν, Ψαρέ, τί ποιῶ
τῶν ἐν τοῖς πολέμοις Πιερίδων ἱερεύς.

382

Ad eundem

Barbara, Psare, tibi do carmina: barbara nempe
Musa, nec Ἑλλήνων de regione mea est.

379. cf. AG 7, 15 (Antip. Sid.) Οὔνομά μευ Σαπφώ· τόσσον δ' ὑπερέσχον ἀοιδὰν θηλειᾶν, ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδας.

380. 1 ταῦτα: τᾶυτα νεᾳ: νεᾶ μέγα: μεγά κῦδος: κεῖδος ἀοιδῶν: ἀοιδῶ **2** μετὰ: μετα Παλλάδα τ': Παλλάδατ' αἰδέεται: αἰδεέται

381. 1 τεύχεσιν: τέυχεσιν οἱ: ὁι λαοὶ: λαὸι χαίρουσιν: χὰιρουσυν τί: τι **2** ἱερεύς: ἱερὲυς

382. 2 Ἑλλήνων: Ἑλλύνων

Nec mihi sunt visae κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
  Ascraeis pecudum ποίμενι, Psare, iugis.
Mantua non nobis, Danaum non κῦδος Ἀθῆναι,
  denique non Spartae κυδιάνειρα πατρίς.
Laudor at a Psaro: siquidem ψεύδονται ἀοίδοι
  ἀλληλῶν praebent μαρτύριόν τε φίλοις.

383

Mercurius ad Paridem:
Ex tribus his forma victricem munere pomi
  quam facies, reddet praemia digna tibi.

Iuno:
Arbitrio Paridis mihi si victoria detur,
  frenabit sceptro plurima regna suo.

Pallas:
Iudice te formae tantum sit gloria mecum,
  praemia virtutem me tribuente feres.

Venus:
Contingent per me Paridi pulcherrima coniunx,
  iudicio dabitur si mihi palma tuo.

3 κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο: cf. Hom. Il. 2, 598; Hes. Th. 25; 52; 966; 1022 **6** Spartae κυδιάνειρα πατρίς: cf. AG 16, 1, 2 (Damag.) Σπάρτα κυδιάνειρα πατρίς

5 Ἀθῆναι: αὐήκαι **6** Spartae: Sparte πατρίς: πατρύσ **7** ψεύδονται: ψένδωντα **8** ἀλληλῶν: αλληλῶν μαρτύριόν τε: μαρτύριοντε

383. 2 tibi **d** Pari **o**

6 me...feres: cf. Ov. met. 2, 45

Paris:
Sic cedunt Veneri cum flava Pallade Iuno,
ut stellae radiis, lucide Phoebe, tuis. 10
Sit tibi, diva Venus, pomum, sit gloria formae,
sint parta arbitrio bina tropaea meo.

384

Ad Musas de Sturno

Quas adiit gentes aut quo versatur in orbe,
dic, precor, o Sturni conscia turba tui.
Haud ignota petis, sed vatis dicere nostri
virgineus prohibet dulcia furta pudor.
At tu, Phoebe, refer; siquidem te candida Daphne 5
et Clymene frontem perfricuisse docent.
Optato recubat Sturnus, mea gloria, lecto
sumit et e tepido gaudia plena sinu.

385

De Plaense domino

Extinctum qui se nuper simulavit amicis,
iudice me vero funere dignus erit.

386

De Athenagora

Dum veros fictosque cupit discernere amicos,
extinctum sese finxit Athenagoras.

12 parta...tropaea: cf. Ov. epist. 17, 242

384. 5 siquidem: sique de **d**

2 conscia turba: cf. Ov. fast. 2, 100 **6** frontem perfricuisse: cf. Mart. 11, 27, 7

Sed postquam heredum risus et gaudia vidit
pro lacrimis, rursus vivit Athenagoras.

387

Ad Apollinem

Extinctum qui se nuper simulaverat, ecce
vivit. Apollo, refer, quid tua fata canunt?

388

Respondet Apollo

Qui mortem fingit, cum sese vivere credet
victurumque diu, tunc morietur, ait.

389

Aliud

Fingentes somnum si vere saepe videmus
sopiri et clausis stertere luminibus,
quid faciet, mortem qui fingit? Nonne peribit
et vere explebit, quod simulavit, opus?

390

Ad Sturnum

Mortuus ad vitam rediit qui, Sturne poeta,
mortuus e Stygiis astra petet tenebris?
Nescio, si vires amisit rector Averni,
mitior an factus saevitiam posuit,

390. 3 rector Averni: cf. 77, 29; Stat. Theb. 4, 457

an male tentatis Epidaurius utitur herbis 5
rursus, nam redeunt ex Acheronte animae.

391

Ad Sturnum

Dardaniae placeat cum, Sturne, rogatio Romae,
dic mihi, cur sanctae displicet ecclesiae?
Illa foro lassos patitur cenare Quirites,
ieiunos iubet haec sternere membra toro.

392

Aenigma ad eundem

Fulmine quae nunquam fertur percussa volucris,
casibus ut variis, Sturne poeta, patet?
Perdidit haec alas dudum caudamque pedesque
concessit Latio pontificique caput.
Viscera nunc eius vereor ne lilia turbent, 5
altivolae flos hic perniciosus avi est.

393

De Tiroldo

Cum Diana tibi placeat placeatque Minerva,
intacta celebres virginitate deae,
dic mihi, cur hostem teneri, Tirolde, pudoris
infamem et sequeris Martis adulteria?

5 Epidaurius...herbis: cf. Prop. 2, 1, 61

392. 3 alas **n** ales **d**

394

De olla in Penica, oppido Misniae, ad Wolfgangum

Qualia Trinacrii non novit mensa tyranni
  nec domus antiqui religiosa Numae,
qualibus anguipedes, donec coluere Tonantem,
  sed prisci et Pyrrhae sacrificavit avus,
talia vidisti nuper, Wolfgange poeta, 5
  fictilia Aoniis iure canenda modis.
Haec etenim superat Phariae miracula Memphis
  templaque noctivagae fictilis olla deae.
Priamidae hanc intra concurrere posset Achilles
  et Xerxes acies dinumerare suas. 10
Haec caperet, quicquid Bacchi Lesbosque Chiosque
  vitiferae et gignunt litora Parthenopes.
Haec etiam caperet, si fas est dicere, totum,
  ni tot fluminibus cresceret, Eridanum.
Quod si pendentes hortos Rhodiumque colossum 15
  doctiloqua veteres concinuere lyra,
esto ollae praeco tantae nomenque Maronis
  gentibus in nostris Maeonidaeque feres.

395

(In sacellum Bambergae)

Eybius Albertus, leges qui et iura tenebat,
pontificum, Bamberga, tuae splendorque decusque
ecclesiae, divo hoc, quod spectas, ecce, sacellum,
Sebastiano summa pietate dicavit,

394. **6** iure: iura **d** **13** fax: phas **d**

1 mensa tyranni: cf. Mart. 9, 43, 7 **2** antiqui Numae: cf. Ov. trist. 3, 1, 30 **6** Aoniis...modis: cf. Stat.silv. 5, 3, 102 **7** miracula Memphis: cf. Mart.epigr. 1, 1 **10** Xerxes...dinumerare: cf. Plin.nat.hist. 4, 43, 2

cuius ut infernas evadat spiritus umbras, 5
haec quicumque legis, Dominum sanctosque precare.

396

(De sancto Iobo)

Quantum vera fides, quantum patientia possit
  et quantum valeat religionis amor,
id magni exemplum nobis ostendit Iobi,
  Eoae speculum qui regionis erat.
Abstulit huic satanas (Dominus sic namque sinebat) 5
  millia multa ovium, millia multa boum
abstulit et totam paene uno funere prolem
  affllixit foedis corpus et ulceribus.
Reddidit invisum uxori carisque propinquis
  effecit populi ludibriumque sui. 10
Dum tamen adversos casus iustissimus heros
  externae et tolerat verbera dura manus,
dum cavet, e sancto ne verbum profluat ore,
  quod superos laedat caelicolumque patrem
et dum semper agit grates laudesque Tonantis 15
  praedicat insanum consiliumque fugit,
millia plura boum, pecudes sobolemque recepit
  in terris, caeli nunc etiam astra tenet.

397

(Ad Sturnum)

Quo ruis infelix, quae te vecordia cepit
  aut quae Tisiphone, quae Megaera tenet?
Coniugium iuvenis nostri lectumque iugalem
  materiam volui versibus esse tuis.
Tu mihi zelotypum quendam noctesque negatas 5

397. 1 quae...vecordia: cf. Ov. met. 12, 226

mittis et aligeri noxia tela dei.
Quid mihi cum Musa, miseros quae plorat amores
et cum tam maestis quid mihi carminibus?
Ingenium blandi Nemesis limasse Tibulli
dicitur et numeros expoliisse suos. 10
Te facit insanum tua Sylvia, nempe cruenta,
(tanta tibi rabies) morte perire paras.
Iamque enses acuis, laqueos iam nectis et ipsa
acceleras nigri regna subire ducis.
Scilicet amplexu solito prohiberis et alter 15
gaudia, quae Sturnus nuper habebat, habet.
Nec tibi blanditias dicit nec basia figit
Sylvia, nec tenerum iungit, ut ante, femur.
Atque ideo vitam et caeli spirabile lumen
et virides annos deseruisse iuvat? 20
Desine, Sturne, precor, non est tua Sylvia tanti,
feminei sexus quicquid et orbis habet.
Si te delectat Veneris decerpere fructus
et tibi vultum saeva puella negat,
at sectare alias, mutabit Sylvia durum 25
consilium Sturni concubitumque feret
invenietque, quibus valeat fraudare maritum
insidiis, clausas et reserare fores.
Et nunc admittet tecto, mox deinde fenestra,
sopiet et Baccho lumina fessa viri. 30
Instantes fugiunt, fugientes quippe puellae
sectantur, tepidis excipiuntque toris.
Colchida sic postquam abduxit Pagasaeus Iason,
creverunt ignes, Hypsipylea, tui.
Maiori Oenone Paridis flagravit amore, 35

32 tepidis excipiuntque toris d facit hoc trux crocodilus idem o

7 miseros amores: cf. Tib. 1, 9, 1 **18** tenerum femur: cf. Catul. 69, 2 **19** caeli...lumen: cf. Verg. Aen. 3, 607 **20** virides...deseruisse: cf. Mart. 11, 71, 5 **24** saeva puella: cf. Tib. 1, 8, 62; 2, 4, 6 **28** reserare fores: cf. Tib. 1, 8, 60 **33** Pagasaeus Iason: Ov. *passim*

Tyndaridem Phrygiae cum rapuere rates.
Multa dies affert, labor improbus omnia vincit
et sunt humanis pervia cuncta dolis.
Inclusam Danaen servabat aenea turris,
Idaeo tamen est de Iove facta parens. 40
Sic te forte manet victoria, cedet amanti
et ponet fastum Sylvia cara tuum,
signiferique sui facibus Venus alma favebit
nec deerit vati Phoebus Apollo pio.

398

Ad Sturnum poetam acrostichis

Sicelides Musae vel si vos forsitan amnis
Threicii et Rhodopes nomen habere iuvat,
Ut quid nunc Albim colitis Rhenumque bicornem
Ruraque Hyperborea candida facta nive?
Numquid, Echionias quondam qui condidit arces, 5
Ut potuit cantu ducere saxa suo,
Sic aliquis Cirrhae vos deduxit ab arvis
Parnassique sacras linquere adegit aquas
Ortaque barbaricis veluti regionibus olim
Elegit Graium Philosophia solum, 10
Taliter Aoniis dudum nutrita fluentis
Arctoas adiit vestra caterva domos.

39 aenea: ahenea **do**

37 labor...vincit: cf. Verg. georg. 1, 145-6 **39** inclusam...turris: cf. Hor. carm. 3, 16, 1-2 **40** de...parens: cf. Ov. am. 2, 19, 28 **44** Venus favebit: cf. Ov. epist. 19, 159

398. 7 Cirrhae: Cyrrhae **d**

1 Sicelides Musae: cf. Verg. ecl. 4, 1 **4** Hyperborea...nive: cf. App. Verg. 1, 62 **5** Echionias arces: cf. Ov. trist. 5, 5, 53

399

Ad eundem eschatostichis

Aonidum columen, quo sumit cornua RhenuS
vate et caeruleum tollit in astra capuT,
cuius laetatur dulci Germania cantU,
assidue crescit quo duce noster honoR,
o felix semperque mihi venerabile nomeN, 5
cui quatis arguta plectra sonora manU!
Threicii superas certe tu carmina vatiS
et fama versi sidera tangis iloP.
In gremio te nempe suo nutrivit ApollO,
candida porrexit pectora CalliopE. 10
Magnus Atlantiades supero te nectare paviT,
doctrina excoluit casta Minerva suA.

400

De eodem, in fine et initio insertum nomen

Hic est, cui tribuit palmam Sulmonis alumnuS,
Thracia quem metuit Maeonidaeque chelys
et cuius gaudent quercus et marmora cantU,
Romula qui digno carmine bella canit
attonita et cuius celebrat Germania nomeN, 5
Umbria cui cedit Callimachusque senex.
Quin praefert Phoebum, Musas et carmina nummiS,
Pierio cuius vota madere lacu
compulit et lucrum quem nunquam cedere rectO,
Egregia Arctoi gloria Danubii, 10
qui solus vatum latebras et mystica noviT
Altiloqua et populos flectere voce feros.

399. 8 iloP: ioP i

1 sumit cornua: cf. ov. ars 1, 239 **2** astra caput: cf. Stat. Theb. 6, 93 **6** arguta manu: cf. Mart. 7, 84, 2

401

De eodem

Sunt Tibi Virtutes Regum, Nomismata Vatum,
Sunt Palamedis Opes Et Trivolinus Ager.

402

Aliud

Alto Trinacrios Excessisti Ore Poetas,
Si Vis, Nec Reges Vera Tacere Sines.

403

Ad Sturnum

Pellibus et villis incedis semper amictus
et solus Cancrum Sole premente riges.
Num tibi blanda Venus nativum forte calorem
abstulit et Chiones, Sturne poeta, torum?

404

Ad eundem

Qui pascit pecudes, teneros si negligit agnos,
saepe luit domini verbera saeva sui.
Qui Christi pascunt populos non rite, Tonantis
quas tandem poenas, Sturne poeta, dabunt?

401. 1 Nomismata: Nummismata **d**

403. 3 tibi...Venus: cf. Ov. am. 3, 2, 55

404. 1 teneros agnos: cf. Verg. ecl. 3, 103

405

Epitoma belli Troiani

Sulcat aquas Helenamque rapit Paris, acer Atrides
concitat Argivos, Aulida classis habet.
Deseritur Sparte, Priami venitur ad urbem,
pugnatur, multo sanguine terra madet.
Orbantur matres natis uxorque marito, 5
sternuntur Graii Dardanidaeque simul.
Ida sonat gemitu, caesorum adduntur ubique
vulnera vulneribus, funera funeribus.
Hectora Pelides perimit Phoebique sagittis
ipse cadit, vincit Graecia, Troia perit. 10

406

De divitibus

Non sectantur opes, nisi si quos ardor edendi,
aut vel Venus alma tenet.

407

In Marcum

Cur adeo Venerem sectaris, Marce? Times an
id, quod Amazonius pertulit Hippolytus?

405. 1 sulcat aquas: cf. Ov. met. 4, 706 **4** sanquine...madet: cf. Verg. Aen. 12, 691 **9** Phoebique sagittis: cf. Ov. met. 13, 501

406. 1 ardor edendi: cf. Ov. met. 8, 828 **2** levis ambitio: cf. 55, 2; Ov. fast. 1, 303

408

Ex Graeco

Es dives, nummi tibi si servantur in arca,
heredi locuples, sed tibi vivis inops.

409

De Sigismundo Lobcovicaeo

Tanta Sigismundo fuerit si cura Minervae,
quanta est talorum, magnus Homerus erit.

410

De Vergilio

Quem sobole e gemina fructum quaesivit Homerus,
hunc habet ex una Vergilius sobole.

411

Ad Musas de lupercalibus

Ite procul Musae, procul i Latonia proles,
stultorum nostros sunt prope festa Lares.

408. 2 haeredi locuples, sed tibi ... inops: cf. AG (Luc.) 11, 294 Πλοῦτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένητος, ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης.

409. 1 cura Minervae: cf. Ov. met. 14, 475

412

De Bernhardo

Parva patris parvi proles, Bernharde, favebit
si tibi Pieridum contio, magnus eris.

413

De Sigismundo Knoblochio

Allia dicuntur nimium foetere, puellis
ecce tamen teneris Allia nostra placent.

414

De Federico

Allia qui spiras, spirabis balsama, Phoebum
Aoniasque deas si, Friderice, coles.

415

Ad Sturnum

Manant, ut perhibent, Eoo quattuor horto
flumina, terrarum quae loca cuncta rigant.
Quattuor enutrit pueros tua, Sturne, palaestra,
Castalio per quos patria rore madet.

416

In sacerdotes ad Sturnum

Sturne, sacerdotes, qui nobis sacra ministrant,
committunt ovibus cur graviora suis?
Errantes at pastor oves ad saepta reducit,
pastorem errantem nulla reducit ovis.

417

De Tiroldo

Utquid progenuit Tiroldum barbara tellus?
  Cecropiis fuerat dignior ille iugis.

418

In improbum

Cum sis faex hominum, scelerum sentina dolique,
  ut quid honor, laudes divitiaeque tibi?
An tantum heroas odit Saturnia, tantum
  et Fortuna bonos invida perseqitur?

419

In Sturnum

Qui cupit ardorem nostri lenire poetae,
  artibus is Coi non eget Hippocratis,
sed iuvenis dominae membris illoque calore,
  quem facit amplexu cara puella suo.

420

In Sturnum

Frigora ne nostrum laedant hiemesque poetam
  emissi Aeoliis carceribusque noti,
non Scythicae pelles villosaque gausapa praestant,
  in cupido sed, qui pectore fervet, amor.

420. 3 gausapa: cf. Pers. 6, 43 **4** pectore fervet: cf. Ov. Pont. 3, 9, 22

421

In episcopum R.

Quantum Caesar abest a primo Caesare, tantum
a primo noster praesule praesul abest.

422

(Ad Sturnum)

Cum nostri proceres populique in pace quiescant
et cum terrificos det tuba nulla sonos,
miraris vultum me demisisse trucisque
nescio quid belli pectora nostra pati.
Sed non, cur stupeas, non est, cur, optime rerum, 5
a facie iactes, Sturne poeta, manus.
Nam quamvis galeae procul hinc gladiique micantes
quaeque quatit muros machina fortis abest,
ipsa tamen procerum demens discordia mentem
assidue turbat sollicitatque meam. 10
Inde fit, ut dubiae timeam plus commoda pacis,
quam certi Martis tela, pericla, minas.

423

(Ad eundem)

Cum dudum nivibus densis paene obruta tellus
producat fruges, lilia, poma, crocum
post pluviam et multo crepitantes murmure nimbos
cum radiis lustret Cynthius arva suis,

421. *in tit.* R. scil. Romanum

422. 7 gladiique micantes: cf. Lucan. 1, 320 **8** muros machina: cf. Verg. Aen. 2, 237 **9** demens discordia: cf. Verg. Aen. 6, 280

423. 1 obruta tellus: cf. Ov. met. 7, 355

aequora cum videas ventis agitata furorem 5
et rabiem subito ponere, Sturne, suam,
utquid miraris Parios habitare penates,
exiguas quondam qui coluere casas,
utquid miraris vestiri vellere Serum,
cui tunicam et chlamydem patria lana dabat, 10
utquid miraris virides gestare smaragdos
pectoribus, quorum carcer habebat avos?
Quod natura potest, liceat quoque posse Tonanti,
omnia qui iusto temperat arbitrio.

424

(De Blancfeldo)

Quod Cicero eloquio potuit, quod magnus Homerus
carmine, quod patriis legibus ipse Solon,
id nunc ecce potest primis Blancfeldus in annis
et triplici Arctoos ornat honore Lares.
Et quae Roma potens olim Colophonque stupebant 5
et Pandioniae moenia grata deae,
nunc en rura stupent gelido subiecta Booti
et tellus, vitreis quam rigat Albis aquis.

425

(Ad Sturnum)

Tot passim celebrant conubia totque Hymenaeos,
lassari ut Iuno pronuba, Sturne, queat.

9 vellere Serum: cf. 68, 171; 96, 1; 127, 25-6; 141, 4; 221, 13 **11** virides smaragdos: cf. 441, 5; 495, 4; Tib. 2, 4, 27

426

(De eodem)

Ecce novas lites - siquidem Tritonia Pallas
de Sturni ingenio certat et alma Venus.
Natus adest Veneri vitisque repertor Iacchus,
Pallada sed Phoebus Aonidesque iuvant.
Quae vincet, dubito, certe sub collibus Idae
cessit Acidaliae flava Minerva deae.

427

(De Quirino)

Dum metuit larvas Erebeaque monstra Quirinus,
solus et in tenebris, Sturne, cubare timet,
quo melius posset Stygios superare colubros,
adiungit lateri Thaida nocte suo.

428

(Ad quendam)

Inter tot iuvenes tecum tua rura colentes
productae frugis cur tibi palma datur?

429

(Responsio)

Inter tot iuvenes me nemo vomere terram
proscindit melius, praemia iure fero.

426. 3 vitisque repertor: cf. Ov. am. 1, 3, 11 **6** flava Minerva: cf. 273, 6; 315, 2; Ov. am. 1, 1, 8; fast. 6, 652

429. 1 vomere terram: cf. Ov. met. 11, 31

430

(Ad eundem)

Qui primus gelidum Musas deduxit ad Albim,
haec mittit Sturno munera parva suo.
Vatis erat donum, vatis monumenta tulisti,
nempe Augustinus quae dedit, ipse capis.

431

(Ad eundem)

Corporis humani moles tum tota laborat,
aegrotum est quoties, Sturne poeta, caput.
Quid patriae fiet, cuius iam cuncta fatiscunt
membra, caput, stomachus, viscera, pulmo, iecur?

432

(In naufragum)

Naufrage, ne pontum accusa pontique procellas,
sed potius ventos imbriferumque notum.
Nempe tuam puppim tecum is demersit, at aequor
detulit ad patrium mortua membra solum.

433

(De Sturno)

Pallada quae quondam vicit nuptamque Tonantis
colle sub Idaeo iudicio Paridis,

431. 1 corporis moles: cf. Sil. 14, 529-30

433. 2 colle sub Idaeo: cf. Ov. ars 1, 684

Pallada nunc iterum sub Sturno iudice vincit,
Mercurium, Phoebum Pieridesque Venus.

434

(Ad eundem)

Cinge tuum puerum iam lauro, Sturne, poeta est
et cantat versus „Euhoe Bacche" furens.

435

(Ad eundem)

Si te saevus Amor suis sagittis
Torquet nec placido resistis igni,
Una est, otia si fugis, medela,
Regem caelicolumque si precaris,
Ne te letifero premi furore,
Visco ne Stygio sinat perire;
Solus portus et aura nam piorum est.

436

Ad regem Wladislaum

Non mirum, rex magne, tibi est dentem esse molestum,
undique quippe hominum dentibus impeteris,
sed Deus avertet dentem (mihi crede) caninum
teque diu tutum reddet et incolumem.
Is dabit imperium felix pacemque perennem
conferet atque animae gaudia vera tuae.

434. 2 Euhoe: Euoe **d**

2 Euhoe: cf. Verg. Aen. 7, 389

437

Ad eundem

Dentibus offendi quereris te, maxime regum,
non mirum - peteris dentibus innumeris.

438

Aliud

Esse tibi quereris dentes, rex magne, molestos,
non mirum - dentes innumeros pateris.
Sed Deus hos dentes solita tibi conteret arte,
cultorem nunquam destituetque suum.
Sed Deus hos perdet dentes animosque malorum,
qui Wladislaei conditor imperii est.

439

De Iulia recens nata

Consului numen, Clariis quod praesidet aris,
Iulia quo fato sorteve nata foret.
Iulia si matris mores vitamque sequetur
et patris, evadet Lesbia, Phoebus ait.

440

Sturnus:
Quod tibi Phoebeos tripodas narrasse canebas,
verius hoc vero non dubitabo fore.

438. 4 destituetque: destituere **d**

3 solita arte: cf. Tib. 1, 9, 66

Bohuslaus:
Iulius armatis certavit, Sturne, catervis,
certabit nudis Iulia nostra viris.

Sturnus:
Iulia concordes fecit cum patre maritum,
nostra facit iunctos civibus agricolas.

Bohuslaus:
Iulia cur dicor, cum non sim filia Iuli,
an quod item vitae causa meae Venus est?

Sturnus:
Iulia rite vocor, quamvis non filia Iuli,
dictator tamen est, dictat ubique pater.

441

(De Cinna)

Comparat argentum, Sidonia vellera, torques,
dum cupit uxori Cinna placere suae,
comparat et gemmas, vestes phialasque Myronis
et Polycleteae comparat aera manus.
Sed licet armillas, aurum viridesque smaragdos
comparat, uxori, Sturne, placere nequit.

442

(De Sturno)

Sturnus abit Sturnoque abeunt abeunte Camenae,
Sturnus adest, redeunt hoc redeunte deae.

441. *in tit.* **2** Cinna: Cynna **d** **4** Polycleteae: Policleteae **d**

5 virides smaragdos: cf. 423, 11; 495, 4; Tib. 2, 4, 27

443

Eidem abiturus Pragam

Sturne, vale, valeant tecum, tua cura, pusilli
  et duce te Phoebum Pieridesque colant.

444

Aenigma ad Sturnum

Fabula me genuit, peperit temerarius error
excepitque sinu puerum facundia pavit
uberibusque suis, geminae dixere parentem
me natae, quarum mundus mendacia ridet
et stupet et sequitur. Qui sim, dic, Sturne poeta!

445

(Ad eundem)

Et monachi veniunt veniunt et, Sturne, puellae,
  hi caelum spondent, hae iuvenile femur.
Quid faciam? Dubio, certe Venus aurea mentem
  plus tenet illecebris mulcet et usque suis.
Nescio quis supera regnare at Iuppiter arce
  dicitur et castos praemia magna sequi.
Iuppiter et caelum valeant, dignatur amantem
  si tantum tepido mollis amica sinu.
Poenitet en dicti - valeat Venus alma femurque
  femineum, si fas est habitare polos.

444. 1 temerarius error: cf. Ov. met. 12, 59

445. 8 tepido...sinu: cf. Ov. epist. 3, 114

446

Ad Sturnum

Quam varii mores hominum, quam dissona corda
 et quam diversis vivitur ingeniis?
Colla caputque aliis auro cinguntur, at ipse
 tempora Phoebea virgine cincta geris.
Advecto fervent Baccho, tibi sufficit undae 5
 Bellerophontei, Sturne poeta, lacus.
Venantur lepores, Sophiam venaris, amatur
 his Nemesis, flamma est Calliopea tua,
thesauros cumulant et opum laetantur acervis,
 Cecropii solum sunt tua cura libri. 10
Inde fit, ut clari maneant te sidera caeli,
 illos Cocytus tergeminusque canis.
Ut te posteritas memoret gentesque futurae,
 deleat illorum nomina tempus edax.

447

Ad Matthiam cocum

Heroas inter quantus Telamonius Aiax,
 Arctoas inter tantus es ipse coquos.

448

Ad Venceslaum

Sectaris lepores, sectatur carmina frater,
 ipse canes pascis, pascit at ille animum.

446. 1 dissona corda: cf. Sil. 11, 45 **4** tempora...virgine: cf. Ov. Pont. 2, 2, 80 **12** tergeminusque canis: cf. Prop. 4, 7, 52

449

De Christophoro

Quae Iunonem olim vicit flavamque Minervam,
cedit Dianae iudice Christophoro.

450

Boemia ad Ungariam

Dic mihi, cara soror, cum nullo Marte premamur,
cur mihi curque tibi non datur ulla quies?

451

Responsio Ungariae

Si caput infirmum est nostrum, si corque pedesque,
motibus, haud mirum, si variis agimur.

452

Ad ingenio praestantem

Magnus es ingenio, sequeris si recta, iuvabit,
at si prava placent, officit ingenium.

449. 2 Christophoro: Chrystophoro **d**

451. 1 caput infirmum: cf. Cels. 1, 4

453

De aedibus doctoris Viti Salii

Dum metuit Vitus, ne Cois Praga medelis
atque Machaonia destituatur ope,
condidit has aedeis, ubi sucos, gramina et herbas
civibus exiguo distrahit aere suis.

454

Aliud

Huc propera, morbi premeris qui pondere, sucos
nempe Machaonios continet ista domus.

455

Aliud

Huc propera, morbi premeris qui pondere, vires
nempe tibi solitas conferet ista domus.

456

Aliud

Si tibi cura animae, patres accede cucullis
velatos sanctae limen et ecclesiae;

453. 3 sucos: succos **d**

2 Machaonia ope: cf. Ov. rem. 546

454. 1 sucos: succos **d**

1 – 2 sucos Machaonios: cf. Ov. ars 2, 491

at si corpus amas, huc laetus perge viator,
  corporis hac habitat scilicet aede salus.

457

Ad Sturnum

Iudicium magni, si vera est fama, Platonis
  Cecropidum turbae praetulit Antimachus,
iudicium nos, Sturne, tuum praeponimus omni
  turbae, quae Rhenum Danubiumque bibit.

458

Ad eundem

Dic, quid portendant hiemes hae, Sturne, tepentes
  et nulla tellus obruta paene nive?

459

Aliud

Si gelidis satiatur aquis, qui peste laborat,
  mortiferam credit se pepulisse luem,
sed postquam rediere ignes in pectora, morbo
  infelix pressus deteriore gemit.
Non aliter iuvenis tenerae congressus amicae,
  victorem miserae se putat esse facis,
mox ubi consueto tumuerunt membra furore,
  pronior in vetitas redditur illecebras.

456. 3 perge viator: cf. AL 671 R, v. 75

458. 2 obruta paene: cf. Ov. fast. 6, 438

460

De vaniloquo et indocto

Te peto, collacrimans fractum valitudine corpus,
te, medica primum consulo laude virum,
urinam spectes nostram, medicina salutem
scit tua, scit vires restituisse meas.
Vidimus urinam, demptis est aurea spumis, 5
significat morbo te caruisse gravi.
Quod non est manibus vitium medicabile nostris,
te tenet infandis mens maculosa dolis.
Indoctum medicum morbo sic liber ab omni
vaniloquus risit, nec nisi risus abit. 10
Ars, Cato praemonuit, simili deluditur arte
et capiunt dignas omnia vana vices.

461

Aenigma ad Sturnum

Muneris est nostri Tiberina ut ludere arce
Cynthius, ut nulli noxia verba serat.
Hos bene versiculos si iunges, Sturne poeta,
ridebis magni carmina Maeonidae.
Alma Venus certe primum veneratur amatque, 5
et armigeri maxima cura dei est.

460. 1 collacrimans: collachrymans **d**

11 ars...arte: cf. Dist. Cat. 1, 26, 2

462

Miseria humanae vitae

Maxima sunt mundi discrimina, nempe feroces
pars hominum patitur gladios et proelia, damna
rerum fert alius caecaque cupidine nummi
iactatur, veluti Boreae cum flamina regnant
gurgite spumiferosque movent ad sidera fluctus 5
vasto turbantes spatiosum murmure pontum.

463

Ad Sturnum in persona Sigismundi a Lobkowicz

Venisti, nostrae moderator summe iuventae,
venisti, Aonii dulcis alumne, lacus.
Laetamur, quantum non quondam pulchra mariti
laetata est reditu Penelopea sui.
Scilicet, ut squalent segetes absente colono 5
et nullos fructus, pabula nulla ferunt,
non aliter tenerum lappae tribulique premebant
ingenium Francos te peragrante tuos.
Nunc rursus noster flavas producet aristas,
rursus fruge nova luxuriabit ager, 10
quaeque fuit sterilis iam dudum, munera Bacchi
vinea Sturnea falce putata dabit.

462. 2 – 3 damna rerum: cf. Manil. 4, 19 **3** caecaque cupidine: cf. Manil. 4, 2 **4** Boreae flamina: cf. Lucan. 5, 217 **5** spumiferos: cf. Stat. Achil. 1, 59 **6** murmure pontum: cf. Verg. Aen. 1, 124

463. *in tit.* Lobkowicz: Lobcovitz **d**

1 moderator...iuventae: cf. Mart. 2, 90, 1 **7** lappae tribulique: cf. Verg. georg. 1, 153; 3, 385 **9** flavas aristas: cf. Sil. 8, 61 **10** luxuriabit: cf. Ov. ars 1, 360

464

In persona Nicolai de Lobkowicz

Esse quid hoc dicam? Solito quod purior aer
gaudia testatur laetitiamque suam
clarius et Titan volitat per inania caeli,
ignivomis terras irradiatque rotis.
Nostra domus resonat cantu, testudo canoros 5
praebet, nescio quo pollice pulsa, modos.
Fallimur? An Sturni reditu laetatur Apollo
Threiciaeque ferit pectine fila lyrae?
Forsan et anguicomae properans a fonte Medusae
obvia fit vati turba novena suo 10
adventuque dei subito doctaeque cohortis
mitior est aer, mitior ipse polus.

465

In persona Friderici Knobloch

Quam bene consuluit nostrae regnator Olympi
aetati reditu, maxime Sturne, tuo!
Nempe velut puppis Palinuro absente fatiscit
iactaturque notis undisonoque mari
utque ferox nullos frenos retinente magistro 5
fertur in abruptae devia rupis equus,
non aliter Sturni ferula cessante periclis
subiecta innumeris nostra iuventa fuit.
Nunc iterum dubiae moderamine carbasa navis

464. *in tit.* Lobkowicz: Lobkonitz **d**

1 purior aer: cf. Auson. Mos. 12 **5** resonat cantu: cf. Verg. Aen. 7, 12 **8** pectine fila: cf. Claud. 2, 22, 330 **9** anquicomae: cf. Ov. met. 4, 699

465. 6 abruptae rupis: cf. 157, 26; Lucan. 8, 46

indomitique iterum frena tenebis equi! 10
Spes quoque iam melior frugis redeunte colono est,
vomere desertis qui medicatur agris.
Rerum opifex nostros mores et facta perosus
an vult humanum peste perire genus?

466

In persona Wolfgangi Cadanensis ad eundem

Angebar nuper te discedente, magister,
nunc laetor nostros te repetente Lares.
Delirare patrem rebar, commisit amico
quod gnatum, qui mox hinc abiturus erat.
Nunc bene consultum nostrae video esse iuventae 5
providus est nostro iudicioque parens.

467

Ad Sturnum

Si Veneris facies adeo formosa fuisset,
ut facies dominae, pectora, crura, tuae,
non solum Mavors, pelagi quoque, Sturne, severus
arbiter optasset Lemnia vincla pati.

468

De Iudaeis

Pellere cum toties populum statuamus Hebraeum,
cur, precor, hunc nostris cernimus in Laribus?

10 indomitique: indomitumque **d**

10 indomiti equi: cf. Ov. trist. 5, 4, 16 **13** rerum opifex: cf. 55, 75; Ov. met. 1, 76

467. 4 vincla pati: cf. Ov. met. 6, 553; trist. 2, 206

An mundus victus loculis clangentibus aurum
  et plus Hebraeum quam placet exilium?

469

Epitaphium pueri aquis extincti

Qui nondum vidit radiis Hyperiona cinctum
  sidera conspicui ter peragrare poli,
parvus in hoc parvo tumulo puer ecce recumbit
  flumineis vitae nuper ademptus aquis.

470

Aliud in corvum

Conditur hoc tumulo volucris Phoebeia, corvus,
  turba canum morti quem dedit immeritae.

471

Aliud equi tolutarii

Qualem rex Macedum aut frater Pollucis habebat
  et nec Adrasteo despiciendus equo,
Asturco iacet hic, domini qui mollius artus
  portabat curru veliferaque rate;
nec glomerasse tamen firmo vestigia dorso
  profuit, aut stabiles explicuisse gradus,
quin hac exigua moriens requiescat in urna
  tantillum et teneant maxima membra locum.

469. *in tit.* epitaphium: aliud **d**

1 radiis...cinctum: cf. Ov. fast. 1, 385

471. 3 Asturco: cf. Mart. Apoph. XIV, 199 tit. **5** glomerasse...dorso: Sil. 3, 336

472

Aliud in accipitrem

Hoc iacet accipiter tumulo, tuus ardea terror,
solamen domini deliciaeque sui.
Hunc una ex avibus rostro lacerasse petitis
et caedem generis dicitur ulta sui.
At vos, o volucres, quarum gaudere rapinis 5
est proprium, vestrum flete perisse decus.
Vester honor cecidit Stygiasque enavit ad undas
infernamque iterum depopulatur humum.
Forsitan et Diti venatur, aggerit, ipsas
Harpyias etiam iam trepidare reor. 10

473

Aliud Michaelis carnificis

Qui laqueo volucrique rota, qui denique ferro
innumeros hominum saepe neci dederat,
obrutus hoc tumulo saxis iacet ecce Michael.
Esse putat quid enim turba furens vetitum?
Huic vos, o animae, quibus olim corpora ademit, 5
parcite, saevitiae praemia nempe tulit.

474

Aliud cercopitheci

Aegypto genitus domino solatia multa
qui tulit, hunc tumulum cercopithecus habet.

473. **1** volucrique rota: cf. Sen. Herc. f. 750 **2** neci dederat: cf. Ov. met. 12, 459 **4** turba furens: cf. Ov. met. 3, 710

474. **2** cercopithecus: cf. Mart. Apoph. XIV, 202, 1

Scilicet Arctoas insuetus ferre pruinas
accessit Stygii litora nigra lacus.

475

Aliud duorum coniugum

Porcellus iacet hic Ioannes, Ursula secum
est coniunx, modicus condit utrumque lapis.
Quippe nec hanc ursae voluit complere nec illum
annos saetigeri Parca verenda suis.

476

Aliud organistae

Conditur hic Petrus, cui carmen et organa curae
semper erant, tumulum spargite rore suum.

477

In Ballistam Vergilii

Ingenti hoc saxo praedo Ballista recumbit,
tuto carpe tuam nunc, peregrine, viam.

478

Artificiosi versus

Mars, Pan, Pluto, Ceres, Liber, Neptunus, Apollo,
arma, nemus, baratrum, segetes, mera, flumina, chordas
captat, amat, dat, multiplicat, fundit, regit, aptat.

3 Arctoas pruinas: cf. Stat. silv. 3, 3, 71 **4** Stygii lacus: cf. Verg. Aen. 8, 296

477. *in tit.* Ballistam: Balistam **d** **1** Ballista: Balista **d**

479

Ad Sturnum

Sturne, cave, quoniam passim tibi retia tendit
alma Venus studiis insidiosa tuis.

480

In eundem

Formosas noster Sturnus sectatur amicas
nec quaerit, quid agant Phoebus et Aonides.

481

Exomologesis

Sordesco totus, peccatis totus abundo
sumque homo nil sancti nil sapiensque boni.
Criminibus, fateor, numen laesisse perenne
et fratrem laesi corpore, corde meum.
Mens hominis vana est, vana est quoque gloria mundi, 5
nil nisi divina cuncta reguntur ope.
In Christum cum sola fides nos salvat amorque
reddat fraternus nos, pia dona, deos,
quare age, summe Tonans, hominis miserere pusilli,
sinceram mihi da crimine et absque fidem. 10

479. 1 retia tendit: cf. Mart. 2, 27, 1

481. 9 hominis pusilli: cf. Sen. dial. 3-5, 2, 34, 1

482

De ranis

Rustica Latonae latices modo turba negatos
  incolit antiquum conqueriturque scelus.
Depositura sitim venit pia mater ad undas,
  turbarat vitreos invida turba lacus.
Nunc quoque limosis latitat pudibunda sub antris, 5
  mutato ulniferos increpat ore sinus
et verita infestum radiantis Apollinis orbem,
  luce sub undosa rana palude sedet.
Quam primum Oceano se mergit Phoebus Ibero
  surgit et innupto Delia vecta choro, 10
has retinet gurges, aliae spatiantur in herbis
  et folia umbrosae frondis opaca petunt.
Sic lunam variis tentant placare querelis,
  ut redeat populis pristina forma suis.
Nequiquam tacitas it earum clamor in auras 15
  Latona querulos praetereunte sonos.
Sic manet infelix genus et spe semper inani
  nunc iacit ad surdos murmura vana polos.

482. 2 conqueriturque: questa subinde o **6** ulniferos o ulnifero d **11** aliae d illae o **15** earum d quorum o in auras d ad auras o **15** nequiquam: necquicquam d **18** polos d Deos o

1 rustica turba: cf. 118, 3; 240, 8; 247, 18; Ov. met. 6, 348 **3** depositura sitim: cf. Ov. met. 4, 98 **4** invida turba: cf. Prop. 3, 1, 21 **5** latitat pudibunda: cf. Ov. met. 3, 393 **6** increpat ore: cf. Homer 342; 817 **9** Oceano...mergit: cf. Sen. Herc.O. 489 **13** placare querelis: cf. Stat. Theb. 12, 486 **15** it...auras: cf. Sil. 2, 417 **16** querulos sonos: cf. Ov. trist. 3, 11, 54 **18** murmura vana: cf. Sil. 12, 629

483

In Gallum

Ut libeat Gallum flammis extinguere, fertur
  Mulciber Idaeum sollicitasse Iovem.
Quaerenti causam: „Veneris memoratur amicus
  infandae et spretor religionis", ait.
Non tulit id pelagi rector: „Mergatur in undam   5
  quin potius", dixit „Danubiumque bibat.
Nam cum mille dolis gentes turbaverit Istri,
  iustius hunc gelidis obruet Ister aquis.
Et dudum occidui populos qui vidit Iberi,
  Euxini videat litora lata freti."   10

484

In Quintiliam

Quintiliae mens est nostrae, sed mentula Gallo,
  et tumet haec atque haec. Quid fore, Sslechta, putas?
Nam, nisi me tripodes Phoebique oracula fallunt,
  haec gignet natos, gignet at illa odium.

485

Theoderici Hozlam

An tumulum probitas Theodrici errabat et ossa,
  incola dum soliti corporis esse cupit.
Omnia sed fatis sensit praeclusa nec ullum
  praebebant pulsae mortua membra locum.
Accessit vivos, non illi corda patebant   5
  vivorum, superas nunc adit ecce domos.

483. 2 Idaeum Iovem: cf. Verg. Aen. 7, 139

485. 6 superas domos: cf. Ov. fast. 2, 188

486

Epitaphium Ulrici de Bysna

Innumeras inter pestes satanaeque sagittas,
  qui cultor verae religionis erat
et cui fraus odio semper pectusque veneno
  infectum mentis duplicitasque fuit,
Ulricus tenet hunc tumulum, Bysnaea propago. 5
  Noscere te haec volui, lector amice. Vale.

487

Aliud Duchconis sive Spiritus

Portio, Praga, tui non contemnenda senatus
  hoc recubat saxo Spiritus, ecce, brevi.
Huic curae virtus et pax tranquilla pudorque
  invictique animi gloria semper erat.
Huic, qui fraude solet quaeri nummisque dolisque, 5
  moribus est populi conciliatus amor.
Sed, lector, fallare cave, nam crura pedesque
  ossaque cum nervis Spiritus hic habuit
et mortalis erat, non ut Gargetius heros,
  sed veluti Moses Christicolaeque docent. 10

486. 6 lector amice: cf. Ov. trist. 3, 1, 2; Mart. 5, 16, 2

487. *in tit.* Spiritus: Speritus **d** **9** Gargetius: Garietius **d**

7 fallare cave: cf. Ov. fast. 1, 58

488

Domini Ioannis Sokolovii

Cui commissa fuit regis custodia, postquam
infanti primum vagiit ore puer,
regia cui semper patuerunt ostia quique
Mecaenas regis, denique solus erat,
Ioannes situs hic modica requiescit in urna, 5
lumen honorque tuus, Sokolowaea domus.

489

Infantis Henrici a Lobkowicz

Qui sexto aspexit nascentis cornua Lunae,
Henricus tumulum hunc Lobkovicaeus habet.

490

Catharinae a Lobkowicz

Hic iacet exiguo Catharina inclusa sepulcro,
fida tibi semper, casta Diana, comes.
Palladis invidit famulae Venus alma puellam
nondum matura surripuitque nece.

488. *in tit.* Sokolowsky U **3** ostia i hostia U **4** solus U servus i **6** Sokolovaea: Sokolowea U Sokolowaea i

1 regis custodia: cf. Ov. met. 14, 371 **2** infanti...puer: cf. Ov. fast. 4, 208

489. *in tit.* Lobkovvitz i

490. *in tit.* Lobkovitz i

491

Catharinae a Lobkowicz

Sponsa futura Dei numerumque auctura piorum.
deseris, heu, nostros, o Catharina, Lares.

492

Virginis Margaretae

Virgineae lumen turbae speculumque pudoris,
fax iuvenum cari deliciaeque patris,
nec Lacedaemoniae vultu cessura maritae
Margareta brevi clauditur hoc tumulo.
Nempe etiam niveos artus et eburnea colla 5
et roseas aufert mors violenta genas.
At tu, qui vivae flagrasti nuper amore,
dilecto lacrimas funde, precor, cineri.
Sic tibi contingat posthac felicior ignis
provocet et gemitus nulla puella tuos. 10

493

De sepulcro Margaretae

Hanc, quam respicis, o viator, urnam
Margareta tenet puella, vicit
quae forma Venerem, pudore Phoeben.
Hanc mors iam generum patri daturam
infanda rapit manu, volebat 5
intactam siquidem, probam, pudicam

491. *in tit.* Lobkowicz: Lobcovitz i

492. 5 eburnea colla: cf. Ov. met. 3, 422 **6** roseas genas: cf. Verg. Aen. 12, 606 mors violenta: cf. 55, 74; 77, 29; 335, 10

et zona minime Deus soluta
sanctas caelicolum domos adire.

494

Migratio leporum

En imbelle genus leporum, Samnites et Indos
et radiis ustam solis adimus humum
Riphaeasque nives, homini qua nescius aer
perpetuo vitreas frigore durat aquas.
Mille plagas siquidem nobis et retia passim 5
tendunt et volucrum praeda canumque sumus.
Nunc etiam scrobibus sinuoso et fallimus arcu
turbaque nostra patet nocte dieque dolis.
Nunc vitare hominis solum commercia restat
et vitae timida consuluisse fuga. 10

495

In resurrectionem Christi

Candida lux rediit Phoebo candentior ipso,
laeta dies laeto laetior Elysio,
sancta quidem sancto longe omni sanctior aevo,
aut si quid sancto sanctior esse potest.
Purpurea veste viridi signanda smaragdo, 5
atque simul cultu concelebranda pio,
qua regum Dominus, lucis lux, splendor Olympi,
dilectus noster morte triumphat amor
quaque etiam veluti fortis leo mane resurgens,
Tartarei Ditis impia regna petit. 10

494. 3 Riphaeas nives: cf. Lucan. 4, 118 **4** vitreas aquas: cf. Stat. silv. 1, 3, 73-4 **7** sinuoso arcu: cf. Homer 436

495.1 Phoebo candentior: cf. Flacc. Arg. 3, 481 **5** viridi smaragdo: cf. 423, 11; 441, 5

Portas attollens vasti frenator Averni,
ter vocem repetens acriter intonuit.
Extimuit Pluton (proceres turbantur Averni),
umbrarum totus grex ferus ingemuit.
Orci continuo limen perfregit iniqui, 15
praedo nocens summi fit modo praeda Dei.
Eripuit caeco clausos de carcere patres,
agnus oves ursi faucibus eripuit.
Obstructum longa referat per saecula callem,
sic iter in patriam conficit aethereum. 20
Humani generis mortem tunc morte fugavit,
mercatur fuso sanguine pastor oves.
Haec est festa dies toto solemnior anno,
felix et fauste digna, beata, pia.
Hac superi gaudent, caelum laetatur et aether, 25
sola gemit Stygii turba profana lacus.
Vernat humus, variis conserta coloribus arva,
rident auratis herbida prata comis.
Exultant volucres, pisces, animalia, plantae,
congaudent Domino cuncta renata suo. 30
Christicolum multa plaudant in saecula gentes,
laetitia exultent, his quia parta salus.
Ter quater infelix, hoc qui non tempore surgens
pura cum Domino mente novatus erit.

496

De vere

Tristia frondifluae fugiunt iam frigora brumae,
cum leni zephyro mitior aura redit.

23 solemnior: solennior i

17 caeco carcere: cf. Verg. Aen. 6, 734 **26** Stygii lacus: cf. Verg. Aen. 8, 296 **27** vernat humus: cf. Ov. met. 7, 284 coloribus arva: cf. App. Verg. 71

496. 1 frondifluae...brumae: cf. Boeth. cons. 1, 5, 14

Incolumis tumida Phrixi trans aequora vector
iam sua flammivomis cornua iunxit equis.
Altius ipse suum tollit super aethera currum 5
Phoebus et assueto lumine terra calet.
Cuncta quidem solito lustrans elementa nitore,
unde dies graciles arvaque laeta facit.
Gratatur tellus, varia et de corpore ducit
munera, fert natis hinc elementa suis. 10
Gramine vestitur campus, vestitur et hortus,
mollia prata virent gramine et omnis ager,
herbiferas fusca et pingunt violaria valles,
pingitur auricomis floribus omne solum.
Floribus et foliis renovatur quaelibet arbor, 15
ridet purpureis frondea silva comis.
Laetantur volucres, quarum stridoribus aether
et querulis resonat cantibus omne nemus.
Iam placidas maerens repetit Philomela querelas
nec torpet mundo nuntia veris avis. 20
Occisum puerum, patrio quoque ventre sepultum
flet pia fletque simul impia mater Ityn.
Cum tamen et nostra tangat praecordia sudum,
humanas mentes gaudia tanta movent,
plaude, precor, viridis, pollens et clara iuventus, 25
auctori Phoebo credita, plaude, precor.
Tangere disce lyram, chordas tractare sonoras,
pectine Phoebeo tangere disce lyram.
Castalios celeri gressu te confer ad amnes
et propera diram tollere barbariem. 30
Pelle sitim, latices Musarum posce sacratos,
Aonio siccam flumine pelle sitim.
Thespiadum pura, felix et vitrea lympha

13 fusca et: fusca i

3 tumida aequora: cf. Verg. Aen. 1, 142 **8** arvaque laeta: cf. Verg. Aen. 6, 743 **15** floribus et foliis: cf. Lucr. 5, 1399 **19** maerens Philomela: cf. Verg. georg. 4, 511 **20** nuntia avis: Mart. 8, 32, 8 **22** mater Ityn: cf. Ov. trist. 2, 390 **31** latices Musarum: cf. Namat. 1, 266 **32** siccam sitim: cf. Ov. trist. 4, 8, 26

doctrinam, ingenium donat et eloquium.
At genus et famam, celeberrima nomina praebet 35
mortalesque facit vivere perpetuo.

497

Laus pecuniae secundum vulgi opinionem

Celsa fori genitrix, regina pecunia rerum,
cuius vix caelum terminat imperium,
tempore nunc nostro, quia caecus crevit habendi
fervor et alta homines torquet avaritia,
te venerantur, amant cuncti, tua iussa sequuntur, 5
omnis et ordo sacer te veneratur, amat.
Iam rex, iam proceres, procerum simul inclita proles,
quaelibet alta domus nunc tua iussa facit.
Conscripti patres, cives tua iussa capessunt,
insulsum vulgus iam tua iussa facit. 10
Te venerantur, amant pueri pariterque puellae,
femineus coetus te veneratur, amat.
Te Venus et Bacchus sequitur, sic quaeque voluptas
corporis usque tuo pendet in arbitrio.
Tu pacem donas et mutua foedera iungis, 15
tu duri Martis bella cruenta domas.
Innumeros praestas comites multosque ministros,
ignotos notis iungis amicitia.
Tu genus et formam, magnos concedis honores,
tu titulos claros, laus quoque tota tua est. 20
Te sine nec doctus, sanctus, bonus atque beatus
et sapiens dici nullus in orbe potest.
Tu sacras veterum leges et iura parentum
confundis, iussu stantque caduntque tuo.
Exulat alma fides, terras Astraea reliquit 25
immani sceptro pulsa virago tuo.

497. 1 regina pecunia: cf. Hor. epist. 1, 6, 37 **5, 11** te...amant: cf. Ov. Pont. 1, 7, 7 **16** Martis...cruenta: cf. Manil. 3, 632 **25** terras...reliquit: cf. Ov. met. 1, 150

Te propter misera humanae est fluitatio vitae,
te propter multos nunc iuvat usque mori.
Herculeos audent alii perferre labores
te propter, duro subdere colla iugo. 30
Omnia nummus habet se et habentibus omnia donat,
omnibus est igitur maxima cura sui.
Summa datur breviter sacro reverentia nummo,
omnia sub leges hic iubet ire suas.

498

In aetatem praesentem

Argentum, en, pueri passim iuvenesque requirunt,
argentum populi cuncta per ora volat.
Matribus argentum sermo est tenerisque puellis,
argentum pistor, cerdo, bubulcus amant.
Tonstrinae argentum memorant memorantque tabernae, 5
argentum mensae, balnea, templa sonant.
Scilicet haec vere est aetas argentea, nempe
omnes argenti summa cupido tenet.

499

Ad Iaroslaum cantorem

Quid iuvat, o cantor, totam deducere noctem
et pariter longam (turpe) sopore diem?
Namque tuo cupidas pellit de corpore vires
tollit et ingenium vertice somnus iners

30 subdere...iugo: cf. 335, 6; Stat. Theb. 1, 175 **31** nummus habet: cf. Pers. 3, 70

498. 2 per ora volat: cf. 197, 6; 282, 4

499. 4 somnus iners: cf. Stat. silv. 1, 6, 91

et facit Aonios, credo, te spernere somnos 5
atque etiam Phoebi dona beata pii.
Proh pudor, aeternam tendis deperdere famam,
post cineres nomen spernis habere bonum.
Quare age nunc pigros de membris excute somnos
et Musis animum perge dicare tuum. 10
Musa viris doctis largos concedit honores,
post mortem titulos sola dat egregios.

500

Deliciae ruris

Auricomus medium scandit dum Phoebus ad axem
et canis aestivos efflat ab ore dies,
in nemus ire iuvat densaque iacere sub alno,
raucus arenosa qua sonat amnis aqua
quaque salutiferos exhalat floris odores 5
vernus et aprico gramine ridet ager.
Florigera eliciunt sopitam rura Minervam,
sublevat ingenium pingue susurrus aquae,
rure fatigati revocant sua robora sensus
et capiunt vires languida membra novas. 10

501

De beano

Aspice, quam lato dominus tumet ore Ioannes,
montano aequalis lumina bina lupo

6 beata: beati i

500. 1 auricomus Phoebus: cf. Mart. Cap. 1, 12 **2** efflat ab ore: cf. Ov. fast. 5, 194 **5** exhalat odores: cf. Lucr. 2, 417 **5** ridet ager: cf. Mart. 10, 51, 3 **8** ingenium pingue: cf. Ov. met. 11, 148

501. 2 montano lupo: cf. Ov. ars. 2, 364

deque sua tenuis pendet cervice capillus,
  Hercyniae saetas auguror esse suis.
Sileni longis pandum auribus aequat asellum,
  non est humano bestia digna loco.
Antra petat potius caecis horrenda latebris
  proque fero a catulis sollicitetur apro.

502

Ad Mercurium pro salvo conductu
Ioannis ad Elysios campos

Mercuri, si qua pietate caeli
auribus dignus venio deorum,
hac reponatur duce te beata
  sede Ioannes.

Tu coercendos homines ad Orcum
horrida mittis subigisque virga
tuque felices animas eadem
  reddis Olympo.

Ut suae sortis Lare gratuletur,
fulgidas portas aperi, viam qua
Taenarus ducit, cohibe nigrisque
  manibus aufer.

Hinc, ubi raptas dominator Orci,
horridus Pluton, animas coercet,
aut ubi fumans piceo colore
  cernitur Aetna.

7 caecis latebris: cf. Verg. Aen. 3, 424

502. 6 horrida virga: cf. Hor. carm. 1, 24, 16 **12** manibus aufer: cf. Sen. Herc. f. 1034

Quo Charon mittit varios timores,
turpis, incultus, sociis gehennae
squallet aeternum, precor haud Ioannem
terreat ille. 20

Qua malus linguae regione custos
arborem semper sequitur fugacem,
arcet infelix mediis abundans
Tantalus undis.

Aut ubi fibras avibus recentes 25
arcet aeterno Tityus dolore,
semper ut possit iecur hoc perire,
non perit unquam.

Sive ubi submisso humero revolvit
Sisyphus saxum, nec, ubi protervus 30
sentit irrisor Phlegyas deorum
numina, vadat.

Pulchra convexi domus est Olympi,
aureae turres et amoena prata,
intret haec nullo prohibente raptus 35
arva Ioannes.

Quisquis hos campos cupiet videre
sentibus diris iter involutum
carpat et magnos ferat haud iniqua
mente labores. 40

Haec tulit caelo via Scipiones,
hac laborabant rigidi Catones
hacque vivendo sapiens beate
Laelius ibat.

18 gehennae: cf. Auson. Ephem. 3, 56 **27** possit...perire: cf. Ov. Pont. 1, 3, 40 **33** domus Olympi: cf. Verg. Aen. 10, 1 **42** rigidi Catones: cf. Mart. 10, 20, 21

Lenis intrantes via ducit Orcum, 45
quae manus blandas facileque primum
praebet ingressus graditurque calle
tota secundo.

Fraudis hac ibant scelerumque amici
et rebellantes dominis ministri 50
atque coniurata manus Gigantum
scandere caelum.

503

De chorea rustica

Vidimus agrestem turbam gaudere chorea
et iuvenes mixtos teneris saltare puellis,
florentem villa tiliam, Silenus et ipsa
optaret spectasse puer convivia, pexus
ductabat princeps restem, repleta Lyaeo 5
pocula crine ferens, quidam venerandus et annis
pone ferebatur sociatus coniuge, pubes
cetera tum sequitur senibusque aetate minores
coniuncti pedibus terram, clamoribus astra
pulsabant, habitu vario viridique galero 10
velatus caput hic blandum arridebat amicae,
pilleolo cristas alius gallique recurvam
imposuit pennam, laevam iactabat in auras.
Alter et in gyrum caram torquebat amicam,
amplexus alius dominae captabat et ipsa 15
oscula, diverso saltu variique puellis
quin etiam mores aderant et corpora, vastis

46 manus blandas: cf. Sen. Herc. f. 1002

503. 3 et: ea **d**

2 mixtos...puellis: cf. Tib. 1, 3, 63 **9** clamoribus astra: cf. Sil. 16, 95

haec humeris caelum fesso portaret Atlante,
haec movet arte nates et limis spectat ocellis
dilectos hominum vultus spargitque sagittas 20
in molles animos Veneris lasciva, papillae
semipatent aliis teretes, digitique procaces

504

(Ad petentem claustrum)

Grata domus, genitor, fratres natique valete
atque sodalitii pignora cuncta mei.
Sat me letifera mundus dulcedine duxit,
sat tenuere animum gaudia falsa meum.
Hostili en laqueo tandem vinclisque solutus 5
securos portus claustraque tuta peto.
Nudus et e pelago fugiens ad litus amoenum,
te, Deus atque parens, iam tua iussa sequor.
Tu mea spes nempe es solus, sunt cetera fraudis
omnia, sed vera est vivere vita Deo. 10

19 limis ocellis: cf. Ov. am. 3, 1, 33

COMMENTARII

I.

1. responsio ad carmen Petri Schotti. **s** fol. 154b (carmen Schotti eodem folio impressum est), **g** p. 267 (nr. 237), Truh. Hum. p. 11.

2. responsio ad carmen Schotti: **s** fol. 156b (carmen Schotti praecedit in f. 155a, de eo Truh. Hum. p. 12 sqq.), **i** p. 44, **g** p. 270 - 273 (nr. 239).

In versibus 44 – 58 sidera zodiaci (similiter ac a M. Manilio in Astronomicorum libro V.) hoc ordine enumerantur: Aries, Taurus, Olor (loco Geminorum), Cancer, Canis Maior (loco Leonis), Virgo, omissa Libra sequuntur Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Urna (Aquarius), Pisces additis Ursa Maiori et Minori, Dracone, Corona septentrionali. Carmen hoc testatur Hassensteinium iam tempore studiorum astronomiae operam dedisse, cui et postea se dedere solebat. Tempore Graecorum antiquorum annus astronomicus ab Ariete incipiebat, tempore Hassensteinii a Piscibus.

versus 91: *Sigismundi regna*: Sigismundus, imperator Romanus et rex Hungarorum (1368 -1437) contra haereticos in Bohemia pugnabat.

v. 92: *sacri fulmina concilii*: concilium Constantiense inter annos 1414 – 1418 habitum, in quo magister Ioannes Hus quasi haereticus capitis condemnatus et anno 1415 igni combustus est.

3. **s** fol. 176b, **i** p.51 **g** p. 307 - 308 (nr. 285).

v. 14: *sanguinis Arctoi*: hominum Germanicae nationis.

4. **s** fol. 177b, **g** p. 308 - 309 (nr. 286). Magna parte epigrammatis Bohuslaus post aliquot annos in invectiva contra Victorinum de Vssehrd scripta usus est (*In papaemastygam*, **d** p. 307).

5. **s** fol. 178a, **i** p. 53, **g** p. 309 - 310 (nr. 287), **sel** pp. 132 – 133, Truh. Hum. p. 15 sqq.
v. 7: *orbus eram...fratribus*: Ioannes, Nicolaus, Iaroslaus, fratres Bohuslai, memorantur.

6. **s** fol. 178b, **g** p. 310 (nr. 288). Propempticon, quo Petro Schotto anno 1481 Romam proficiscenti felix reditus optatur.

7. **s** fol. 178b, **g** p. 310 (nr. 289), **sel** 122 - 123. Carmen hoc in Lucubraciunculis Bohuslao vivente impressum sed Thomas Mitis id postea in editionem suam non accepit similiter ac alia tria carmina Bohuslai in Lucubratiunculis exstantia. Causam huius rei nescimus. Nuper comperimus hoc carmen in editionibus operum Iani Pannonii inveniri: Jani Pannonii Poemata, Traiecti ad Rhenum 1784, p. 654: *Cuidam Petro XIX.*). Initium carminis in opere L. Bertalot: Initia, p. 241 nr. 34 legitur. Quo modo carmen Bohuslai (si ei attribui potest) inter opera Pannonii devenerit, incertum est. De epigrammatibus Pannonii e biblotheca regia Bohuslaus in epistula sua 14. 9. 1499 ad Ioannem Sslechtam data scribit (**f** II. 59, 20).

8. **d** p. 284: in pacem anno 1479 cum Hungaris factam.
9. **d** p. 285, **a** p.132 - 133: de eadem.
10. **d** p. 285, **a** p. 146 – 147.

11. **d** p.123: Carmen rege Wladislao anno 1479 ab Hungaris victo et auro cladem suam redimere coacto scriptum. Truh. Hum. p. 87, ZbFFUKom 4 p. 21.

12. **d** p. 247, Jiráni: Carmina p. 12 sqq. Truh. Hum. p. 18 putat carmen in Italia ante annum 1482 finitum et minime perfectum omnium carminum Bohuslai esse. Pro inventore bombardae in Europa Bertholdus Schwarz, Germanus Freiburgensis, frater ordinis S. Francisci habetur. De carmine vide D. Martínková: Ohlas vynálezu knihtisku v naší latinsky psané literatuře, in:

Knihtisk a kniha v českých zemích od husitství do Bílé hory. Academia Praha 1970, pp. 156 – 161.

v. 14: *Lapithaeque senectus*: error Bohuslai, pro Lapitha Chiron Centaurus, longa vita atque sapientia clarus, ponendus erat.

v. 61: *qui...ducit Hebraeos*: Moses, qui Iudaeos trans Mare rubrum traduxit.

v. 73: *Baldum*: Baldus de Ubaldis, Italus, iuris utriusque professor saeculi 13.

v. 75: *scita parentum*: scripta patrum ecclesiasticum.

v. 76: *quatuor in partes*: 4 euangelia Novi Testamenti.

v. 106: *pater ille*: S. Hieronymus, auctor editionis Bibliae Latinae Vulgatae.

v. 107: *gloria Dalmaticae*: natus inter annos 340 – 346 Stridonii, quod est oppidum in terminis Dalmatiae et Pannoniae situm.

v. 108 – 9: *alumno Africa* etc.: ut verba margini ascripta in **d** signant Cyprianus, Thascius Caecilius, rhetor, episcopus Carthaginiensis, Africa oriundus.

v. 110: *Adamantius*: Origenes, scriptor ecclesiasticus, Cypriani contemporaneus, propter suam navitatem tempore senectutis Adamantinus dictus.

v. 112: *felici munere Rheni*: spectat ad artem typographicam in Germania inventam.

v. 119: *Insubrum...praesul*: Sanctus Ambrosius, episcopus Mediolanensis, prius procurator Insubriae.

v. 119 – 120: *Aquini laus*: Thomas de Aquino.

v. 121: *Britannus*: Beda Venerabilis, scriptor ecclesiasticus.

13. **i** p. 137, **a** p. 28, **sel** 28 - 29. Truh. Hum. p. 18, nota 3; D. Martínková: Ohlas vynálezu knihtisku v naší latinsky psané literatuře, in: Knihtisk a kniha v českých zemích od husitství do Bílé hory. Academia Praha 1970, p. 156.

14. E codice manu scripto **C** editum, a Dana Martínková in **m** elucubra-tum: carmen annorum spatio 1481 - 1482 compositum, quo tempo-re Hassensteinius Ferrariae studiis deditus erat et Udalrico de Frundsberg familiariter utebatur.

15 – 16. **i** p. 105, carmen 16 edidit etiam H. C. Schnur in: Lateinische Gedichte deutscher Humanisten, Reclam 1966, pp. 243, 451 (denuo editum anno 1987). Simili modo Petrus Schottus, amicus Bohuslai, in suo carmine mortem considerat. Anno 1498 hoc Schotti epigramma mortem tractans in duobus libris typis impressum est (in Isidoneo Germanico Iacobi Wimpfelingi et in **s**, vide etiam **g** p. 307):

Petrus Schottus Argentinensis De morte:
Loquitur mors nobis:

„Heus propera! Quae te dementia falsa moratur?
Fac bona, ne pigeat, cras tibi finis ero.
Rides? Iudicio forsan te vespere sistam,
caeca indefessa torqueo tela manu.“

17. De carmine vide **r** p. 128 sqq. **t**. p. 7, nr. 5. Hoc carmen insertum est in fine epistulae Bohuslai ad Petrum Schottum, Ferrariae 20. 5. 1482 datae (**f** II, 5).

18. **d** p. 297, **a** 134, **sel** pp. 134 - 135. Ioannes Colowratius, administrator archiepiscopatus Pragensis, 23. die mensis Septembris 1483 mortuus est.

19. **i** p. 212 – 214, **a** p. 40 – 42, **sel** pp. 40 – 43, Truh. Hum. p.124, 159. De hoc carmine, quod inter annos 1483 – 1486 ortum esse videtur (cf. J.Martínek in: LF 101, Praha 1978, pp. 84 – 93), in comparatione fontium latius disseritur. Cadanae anno 1473 monasterium ordinis S. Francisci cum templo, quattuordecim auxiliatoribus dicato, fundatum est. Patronatum huius monasterii ab anno 1481 domini de Hassenstein habebant. De cultu quattuordecim auxiliatorum et familia nobili Lobkowicziana scripsit recenter Petr Hlaváček: Retrospektiva dějin františkánského kláštera Čtrnácti sv. Pomocníků v Kadani v 15. a 16. století (Historia monasterii Quattuordecim auxiliatorum

Cadanensis saeculis 15 et 16)., in: Ústecký sborník historický 2001. Gotické umění a jeho historické souvislosti I, Edd. J.Homolka, M. Hrubá, P. Hrubý, M. Ottová, Ústí nad Labem 2001, pp. 79-106.

II.

20. **i** p. 93, **sel** 16 – 19, ZbFFUKom 4 p. 27. Iaroslaus de Boskowicz nobili gente Moraviae ortus, legatus regis Wladislai, anno 1485 a rege Matthia Corvino captus, in carcerem detrusus et deinde supplicio capitis punitus est.

21. **i** p. 93 - 94, **a** p. 16 – 19, Truh. Hum. p. 81; ZbFFUKom 4 p. 27. De eodem. Frater Iaroslai, de quo ultimus versus loquitur, est Ladislaus de Boskowicz (+1520), vir magnae eruditionis, qui eodem tempore, quo Bohuslaus in Italia litteris studebat et bibliothecam magnam collegit, quae postea dissipata est. Ad eum, ut veri simile est, epigrammata Bohuslai de morte fratris eius spectant.

22. **i** p. 165: Ioannes Sselenbergius, cancellarius regni Bohemiae, circa annum 1488 praepositus Bohuslai in cancellaria regis erat. Epistulae Bohuslai ad eum temporis spatio 1490 – 1501 scriptae, quae adhuc exstant, breves et artae, res politicas tractant et nihil de re litteraria dicunt.

23. **i** p.164, **sel** 146 – 147, Truh. Hum. p. 32.: Carmen hoc ante amicitiam Bohuslai cum Victorino de Wssehrd finitam ortum est eodem tempore (circa annum 1489), quo etiam Satira Bohuslai ad sanctum Venceslaum scripta et Victorino dedicata est.

24. **i** p. 11 – 18, **D** fol. 35a, **Y** fol. 28a. Collationibus Theofili Ryba adhibitis K.Hrdina edidit in: Bohemia Latina, Praha 1931, p. 47 sqq. De satira vide Truhlář Hum, p. 32 sqq. Bohuslaus eam in epistula sua 31.12. 1489 ad Victorinum de Wssehrd data dicavit (**f** II, 18).

v. 60: *Ottogarum*: Primislaus Ottocarus II., quo regnante regnum Bohemiae a mari Baltico usque ad mare Adriaticum (*gemino...profundo*) extendebatur.

v. 64: *nomen ab alite ducens Oebalia*: gentis nobilis dominorum a Ssvamberg insignia olor ornabat. „*Orestis vexatus furiis*", qui nuper obiit, erat, ut videtur, Hinco de Sswamberg, filius Bohuslai de Ssvamberg, 10. 7. 1489 defunctus, de cuius insania monachus quidam ordinis sancti Francisci scripsit (Truh. Hum. p. 34, ČČM 1830, p. 267).

86: *moderator...Quiritum*: rex Wladislaus.

107: *notissimus...moechorum*: Hinco de Podiebrad, cuius mores corruptos Hassensteinius saepe castigare solebat.

109: *huic coniunx*: Catharina, filia ducis Saxonum, coniunx Hinconis.

139: *nescio quis*: Truh. Hum. p. 139 refert haec verba ad Benessium de Weitmile, vicinum Hassensteinii, Comotaviae et Portae apostolorum residentem, regis legatum.

140: *Caesarve paterve*: caesar Maximilianus I. et rex Poloniae Casimirus.

156: *gemina...coniuge*: notae marginales in **Y** hoc ad Ioannem Mutrplos de Tedrazic referunt, annis 1476 – 1492 protonotarium cancellariae Bohemicae (vide etiam Martínek, LF 91, 1968, p. 310, Hejnic, LF 107, 1984, p. 45).

159: *cuius vetuisse foret*: administratoris atque consistorii.

25. i p.99. J. Truhlář (Hum. p. 17) existimat epitaphium hieme 1490 – 1491 Hassensteinio in insulam Chios proficiscente ortum esse. Recentissime id in opere Ludovici Bertalot: Initia, p. 147 nr. 1 invenimus, in codice Bibliothecae Vaticanae Vat. lat. 1610, f. 121v exstans (Codices Vaticani latini, Tom. III., Romae 1912, p.107: "*Marci romani cuiusdam epitaphium. Inc.: Marcus achademicus Romane stirpis alumnus etc. Expl.: Fulsisset, fama proximus ut tumulo*). Codex Vaticanus, saeculo 15 exaratus epigrammata variorum poetarum continet, praeter alios Tibulli, Panormitae, Martialis, Callimachi Experientis (Buonaccorsi). Epigramma in fine codicis invenitur, praecedit epitaphium Platonis

Plutarcho adscriptum. Non sequitur nisi epistula Guarini Veronensis. Dubitamus Hassensteinium auctorem huius epigrammatis fuisse.
v. 1: *Academiacus*: metri causa vocalis „a“ apponitur, recte „academicus“.

26. d p. 310. Stephanus Piso, Bohuslai familiaris, ad quem etiam tria sequentia epigrammata pertinent, autumno 1491 mortuus est (ultimo in epistula 11. Augusto 1491 data commemoratur). Comitabatur Bohuslaum tempore studiorum Ferrariensium, nomen eius in albo academiae Ferrariensis inscriptum testabatur Bohuslaum in doctorem esse promotum (26. Novembris 1482 *„Stefanus Pisce Misnensis Dioc. artium D. Ferr. stud.“*, vide Pardi, G.: Titoli dottorali conferiti dallo studio di Ferrara nei sec. XV e XVI, 1900 (denuo impressum Bononiae 1970), p. 60. Bohuslaum Bohemiam redeuntem comitabatur bibliothecae eius curam habiturus (Martínek: Has. škola, p. 37 – 38). In hoc et sequenti epigrammate errores singulos correxit J.Martínek Ke krit. p. 233.

27. d p. 310.
28. i p. 95.
29. i p. 116. De morte Stephani Pisonis vide notam ad nr. 26.

30. U fol. 120r, **p** A6b, **i** p. 63, **q** pp. 70 – 74, **sel** pp. 82 - 89. Truh. Hum. p. 38 sqq. carmen anno 1491 exeunte Bohuslai ex itinere suo reverso (vere 1490 inito et autumno 1491 finito) scriptum esse putat. De peregrinatione Bohuslai vide J. Martínek: Quaesti-ones ad Bohuslai Hassensteinii vitam pertinentes, LF 90, 1967, pp. 317 – 320; W. Neuber: Bohuslav Lobkowicz von Hassenstein. Zum Problem von Reiseperzeption und humanistischer Bildung, in: Die österreichische Literatur. Ihr Profil von den Anfängen im Mittelalter bis ins 18. Jahrhundert (1050 – 1750). Ed. H. Zeman, Tom. II/1, Viennae 1986, p. 833 – 844; H.Wiegand: Hodoeporica. Studien zur Neulateinischen Reisedichtung des deutschen Kulturraums im 16. Jahrhundert. Baden- Baden, 1984.

v. 98: *transcendi aetatis bis tria lustra meae*: Hassensteinius se triginta annos natum esse dicit, ex quo iudicari potest eum anno 1461 natum esse (J.Martínek: LF 107, 1984, pp. 149 – 157).

31. i p. 99. Venceslaus Planensis variis officiis ecclesiasticis (canonici, scholastici, decani ecclesiae Pragensis) Pragae fungebatur. Annum mortis eius certe non scimus, ultima mentio eum scholasticum ecclesiae Pragensis anno 1492 esse testatur. (Tomek, Tom. IX., pp. 330 – 338; I. Hlaváček: Sborník historický 6 (1959), p. 225 sqq. atque nota 19a. Unica epistula Bohuslai ad Venceslaum Planensem exstat (**f** II, 8 anno 1485 data). Fontes historici ultimam mentionem eius anno 1492 faciunt; tunc scholasticus ecclesiae Pragensis erat.

32. i p. 92. Casimirus, rex Polonie, pater regis Wladislai, septimo die mensis Iunii anno 1492 de vita decessit.

33. i p. 96, **sel** pp. 106 - 107. Fridericus Busner (Buchsener), familiaris Bohuslai 8. 9. 1492 vita defunctus est. Cf. Martínek: Has. škola, p. 33.

34. i p. 32 – 38, ZbFFUKom 6 p. 92. Carmen edidit atque interpretatus est J. Martínek in **z**: De falsa litterarum gloria Bernardo Adelmanno facta, LF 108, 1985, pp. 204 – 217. Scriptum est, ut verisimile esse videtur, non ante diem 5.7. 1492 et ante finem anni 1493.

35. d p. 307, **U** fol. 16r, **Y** fol. 41r, Truh. Hum. p. 52. Invectiva in Victorinum Cornelium de Wssehrd, quae est responsio ad carmen eius papam eludens (Papae mastix, vide etiam epistulam Hassensteinii ad Ioannem Pibraeum 2.1. 1494 scriptam (**f** II, 43). Bohuslaus versibus suis in Petri Schotti inimicum scriptis (**s** fol. 177b) in hac invectiva usus est.

36. Hoc epigramma solum in codice **Y** fol. 41v post invectivam Hassensteinii invenitur. Certe dici non potest, utrum Bohuslaus

ipse hos versus ad invectivam praecedentem pertinentes scripserit, an potius familiaris eius quidam.

37. **i** p. 157, **sel** pp. 30 - 31. J. Truhlář (Hum. p. 52) opinatur hoc epigramma pro secunda invectiva Bohuslai in Victorinum de Wssehrd carmine suo papam laedentem haberi posse.

38. **i** p. 111-112.
v. 1: *Caesarei splendor solii*: Sanctus Henricus (+1024) imperator Romanus nomine Henricus IV. erat.

39. i p. 112, **sel** pp 20 - 21.

40. **i** p. 38, **sel** p. 68 – 71. Carmen hoc eandem materiam, quam epistula Bohuslai ad Bernardum Adelmannum (**f** II, 92) die 11. 8. 1502 scripta tractat. Vide etiam J. Martínek, LF 93, 1970, p. 40, ZbFFUKom 4 p. 25.

41 – 2. **d** p. 299. Hermolaus Barbarus, professor Italus, mense Iulio anni 1493 Romae mortuus est.

43. **i** p. 112 et iterum **d** p. 311 (sub titulo „Ad deum optimum maximum"), **sel** pp. 120 – 121, Truh. Hum. p. 49. Preces pro reconciliandis utraquistis Bohemicis ecclesiae catholicae in epistula ad Ioannem de Pibra 10. 10. 1493 data (**f** II, 40).

44. **Y** ff. 32v – 33r, **U** ff. 3v – 4r, **t** (secundum **U**) pp. 48 – 50.

45. **i** p. 80, **sel** pp. 138 - 141. De Carolo IV. imperatore vide etiam epistulam Hassensteinii ad Ioannem de Pibra 10. 10. 1493 datam (**f** II, 40).

46. **i** p. 87, **sel** pp. 102 - 103. Ladislaus Postumus, rex Bohemiae, anno 1457 praemature vita functus in aede sacra Pragensi sepultus est. Eiusdem regis Bohuslaus mentionem facit in epistula **f** II, 136.

47. U fol. 118v, **i** p. 91. Ioannes nobili familia „de Roupov“ dicta ortus anno 1493 obiit. Homo sane eruditus inter annos 1486 et 1493 munus supremi scribae tenebat.

48. i p. 41. De Gregorio Hruby Gelenio, quem Bohuslaus carmina sua Bohemice reddidisse suspicabatur, vide Truh. Hum. p. 70 et **t** p. 215.

49. d p. 297, **sel** pp. 134 - 135. Stiborius Tovacoviensis de Cimburk, nobili familia Moraviae ortus, 26 die mensis Iunii 1494 obiit. Hassensteinius eum irrisorem fidei catholicae in hoc epitaphio monstrat, erat enim membrum ecclesiae sub utraque specie communicantium.

50. i p. 96. Angelus Politianus 28. 9. 1494 obiit.

51 - 52. ambo **i** p. 97. Ioannes Picus de Mirandula et Georgius Merula eodem anno 1494 defuncti sunt. De Bohuslao Hassensteinio et Ioanne Pico cf. F. Karfík: Bohuslav von Lobkowicz und der Florentiner Platonismus, in: Florentine Platonism and Central Europe, ed. J. Matula, Olomucii 2001, p. 44.

53. i p. 97. Anno 1494 Carolus VIII., rex Gallorum, Neapolim oppugnans regem Alphonsum vicit.

54. d p. 283. De eodem et bello, quod cum rege Galliae gessit.
v. 8: *Thisbes...arbor:* morus , symbolum papae Sixti IV. anno 1484 defuncti hoc loco a Bohuslao false adhibetur, quia tempore huius belli iam paene duos annos papa Alexander VI. sedem apostolicam tenebat.

55. i p. 82. Ioannes Lepus (Zajíc) a Hasmburg die 15. Maii 1495 obiit.

v. 7: *lumenque senatus*: Ioannes Lepus in consilio regis Bohemici inter annos 1479 – 1490 multum valebat (vide J. Macek, p. 330).
v. 87: *hoc praeside*: anno 1469 supremus iudex erat.

56 - 7. i p. 88 - 89. Nr. 56 in **sel** pp. 14 – 17.

58 - 59. i p. 98. Alexius (Also) a Kossetic, iuris utriusque doctor, munere vicecamerarii annis 1488 – 96 fungebatur (Macek p. 327, plura de eo ERP 3, p. 188). De obitu eius Ioannes Pibraeus ad Bohuslaum scripsit, ut ex epistula Bohuslai 3. 10. 1496 data (**f** II, 51) comperimus.

60. i p. 176, **sel.** p. 116 – 119, ZbFFUKom 6 p. 92. Carmen ante adventum regis in urbem Pragensem 27. die Februarii 1497 scriptum est.

61. i p. 119, **sel** pp. 22 - 23. Hyndracus a Hrabova, vicem scribae apud tabulas publicas inter annos 1497 – 1504 supplens, Victorino Cornelio de Wssehrd in hoc officio successit.
v. 4: *ambitus et sese succubuisse dolet*: Victorinus de Wssehrd magistratu privatus.

62. i p. 119, **U** fol. 123r, **sel** pp. 22 – 23.

63. i p. 114. Ioannes Filipecz, episcopus Varadiensis atque orator regis Matthiae, anno 1496 exeunte in monasterium se contulit vitamque monachorum accepit. De hac re Bohuslaus ad Ioannem Pibraeum in epistula anno 1497 ineunte data (**f** II, 53) scribit: *„Nuper etiam Ioannes quietem monasterii opulentissimae ecclesiae Waradiensium antetulit.*“ Scimus etiam eum anno 1475 una cum Stephano Zapolsky Cadanam, quam urbem tunc familia Lobkowicziana administrabat, et praesertim aedem sacram Quattuordecim auxiliatorum visitasse. Ioanne Filipecz anno 1500 mortuo Bohuslaus successor eius in episcopatu Olomucensi electus est, sed postea non confirmatus.

64. **i** p. 98. Ioannes Canter Frisius anno 1497 obiit. Iosephus Truhlář (Hum. p. 75) hoc nomen ad fratrem Iacobi Canter pertinere suspicabatur, epitaphium autem patri eius (ut auctores ERP affirmant), qui Iacobo in Bohemia morante mortuus est, destinatum est. De Iacobo Canter Frisio vide: B. Ryba: Iacobus Canter Frisius: Rosa Rosensis, Budapestini 1938, pp. 3-5; Jacobus Canter: Dialogus de solitudine (c. 1491), ed., transl., comment., praef. Bunna Ebels – Hoving, Monaci 1981; J. Špinar: Knihovna kláštera cisterciáků ve Zlaté Koruně, České Budějovice 1997, p. 24.

v. 7: *terrebat Rhenus Athenas:* Ioannes Canter vixit aliquot annos Coloniae cum filiis suis.

65. **d** p. 304.

66. **i** p. 140. De Iacobo Canter vide notas ad nr. 64. Carmen circa annum 1498 scriptum est. Verisimile est Bohuslaum libros a Iacobo obtinuisse (exstant adhuc exemplaria titulorum a Cantero editorum in Bibliotheca Lobkowicziana in Nelahozeves), exhortatur eum ad alios edendos.

67. **i** p. 152.

68. Tituli carminum in fontibus occurrentes notantur: **p** fol. C 3b (*Carmen adhortatorium ad bellum contra Thurcas*, in indice *Summos Christianos principes contra Thurcas excitans adhortatorium carmen*), **b** ff. C 2b – C 7b (*Bohuslai de Hassenstein ad Imperatorem et omnes Europae Reges de bello Turcis inferendo Epistola*), **i** pp. 1 – 11 (*Carmen heroicum ad imperatorem et Christianos reges de bello Turcis inferendo*), **l** (*Bohuslai Bohemi Baronis de Hassenstein Carmen summos Christiani orbis principes excitans ad bellum contra Turcas gerendum*).

Truhlář (Hum. p. 87) censet carmen anno 1499 scriptum esse, alii (B. Ryba, LF 58 (1931), p. 426; ERP 3, p. 183 – 184) opinionem eius sequuntur. Theofilus Ryba op. cit. affirmat tractatum

Bohuslai, qui est de avaritia, hoc carmen praecessisse et in carmine materiam retractari. De exemplo Bohuslai, quod est carmen Baptistae Mantuani eandem materiam tractans, vide eiusdem operis p. 426 notam 2. Etiam carmen Gregorii Tifernatis *Vaticinium cladis Italiae*, ut opinamur, exemplum Bohuslai esse potuit. Ambo carmina in apparatu critico notamus, primum sub siglo **Bapt. cal.** (*Ioannis Baptistae Mantuani De suorum temporum calamitatibus libri tres*, ed. pr. Bononiae anno 1484, pp. 118 - 177, quem librum Bohuslaus quoque in bibliotheca sua habuit, nostro tempore in Bibliotheca Lobkowicziana in Nelahozeves sub nr. II Ja 8 asservatum); secundum sub **Tifern. vat.** (in: Tifernas: Carmina [sunt numero 28] [S. l. [Venetiis], Hain 8041). De carmine in epistula Ioannis Sturni ad Bernardum Adelmannum 16.12. 1508 data mentio fit (**t** nr. 162, **r** p. 130). Recenter Tomáš Rataj in opere suo České země ve stínu půlměsíce. Obraz Turka v raně novověké literatuře z českých zemí (Pragae anno 2002). De Bohuslao paginis 42, 116, 119, 157 – 8, 195 disseritur, opera eius in scheda operum Turcicorum annexa sub numeris 344, 345, 359, 363, 385 enumerantur. De hoc carmine vide nostram commentationem in LF (The Incorrect Attribution of Aenea Silvio´s Poem "De passione Christi" to Bohuslaus of Lobkowicz and Hassenstein and Some Notes on Datation of His Printed Works, in: LF vol. 128, 1 – 2, pp. 35 – 46).

v. 8: *maxime regum*: Maximilianus I., imperator Romanus (1459 – 1519).

v. 15: *regis ...superbi*: Carolus VIII., rex Francogalliae (1483 – 1498).

v. 16: *coniuratos Morinis...Batavos*: Maximiliano I., loco filii sui Belgiam administrante Morini et Batavi contra eum coniuraverunt. Maximilianus anno 1482 ab iis Bruggis captus est. De hac re etiam Sebastianus Brant, Bohuslai contemporaneus, in carmine suo ad Maximilianum scribit.

v. 27: *Gallae...Viennae*: Lutetiae Parisiorum

v. 32: *Lilia*: insignia regum Francogalliae

v. 35: *tu rex*: rex Hispaniae

v. 75: *praesul optime*: papa Alexander VI. (1492 – 1503).

v. 81: *dominos veteres pulsos*: Alexander VI. munere summi pontificis suscepto tyrannos parvos et usurpatores rerum publicarum pepulit.
v. 99: *Sauromatum ductor*: Casimirus, rex Poloniae (1447 - 1492).
v. 123: *rex clare*: rex Portugalliae
v. 159: *Naupactaeasque ruinas*: Lepanto, pugna apud Naupactum anno 1499 commissa est.
v. 160: *Sagunto*: Saguntum, urbs in litore orientali Hispaniae sita, nunc Murviedro appellata.
v. 165: *regna Liburnorum*: Liburni, populus maritimus in Croatia habitans.
v. 181: *tuum...nomen*: Wladislaus, rex Bohemorum. De imagine regis Wladislai in hoc carmine memorata cf. ZbFFUKom 4 p. 22; ZbFFUKom 6, p. 86.
v. 222: *pastor Latius*: Alexander VI.
v. 225: *fratris pietas*: Fridericus Jageillo (+1503), frater Wladislai regis, archiepiscopus Gneznensis.

69. **i** p. 125, **sel.** p. 26 – 27. Bohuslaus vere 1499 Budam et Viennam visitavit.

70. **i** p. 184. Duo exempla imaginis reginae Beatricis in marmore sculptae affert catalogus: Matthias Corvinus und die Renaissance in Ungarn 1458 – 1541, Wien 1982, p. 204, nr. cat. 85 imago in marmore et viridi iaspide sculpta; p. 232, nr. cat. 122 facies marmorea reginae de marmore circa annum 1476 in Ungaria a Francisco Laurana, sculptore Italiano, facta.

71. **N** fol. 17v, **k** p. 225. Opusculum Nicolai Rosenbergii sic inscribitur: *Ad Invictissimum et Excellentissimum Principem Maxmilianum Rom. Reg. etc. Compendiosa explanatio de situ, moribus et diversitate Sciticarum gentium Nicolai de Rosenberg Poloni, ex Accippitrinis, equitis Iherosolymitani, ser(enissi)mi Polonorum Regis pro tunc apud sacrum Imperium oratoris;*

epigramma Bohuslai nostri *In idem compendium mag(nifi)ci Bohuslai Bohemi de Hassenstein Distichon* appellatur.

De Nicolao Rosenbergio (Rosenbergero, a Polonis „Mikolaj Rozemberski“ dicto), oratore Ioannis Alberti, regis Poloniae, vide e.g.: K. Estreicher: Bibliografia Polska, Tom. XXVI, Lit. R., Kraków 1915, p. 365; Historia diplomacii polskiej, Tom. I. Warszava1980, p. 546 – 7, 550, 575 – 9; J. Garbacik: Materialy do dziejów dyplomacji polskiej z lat 1485 – 1516 (Kodeks zagrzebski), Wroclaw, Warszawa, Kraków, Polska akademia nauk 1966, passim. Scriptum Rosenbergii, cui Bohuslaus poetice praefatus est, edidit, explicavit, de Nicolao Rosenbergio praefata est Zofia Kowalska: Mikolaja Rozembarskiego traktat z roku 1499 o pochodzeniu Tatarów, Universitet Jagiellonski, Krakow 1993. In paginis 31 – 36 de Bohuslai epigrammate et de ratione inter eum et Nicolaum intercedente disseritur.

72. **i** p. 172, **K** 216r – 216v, **sel** pp. 112 – 115; ZbFFUKom 6 p. 89. De Turcis circa annum 1500 impetum minantibus.

73. **i** p. 110. De Conrado Celte et Bohuslao Hassensteinio vide praefationem.

74. **i** p. 167, **sel** pp. 112 - 113. Bohuslaus laudat Valentinum Mezrzitzenum (ERP 3, p. 322), virum eruditum, astronomiae peritum. Disticha pars epistulae Bohuslai ad Valentinum anno 1499 scriptae (**f** II, 60) fuisse videntur; qua epistula Valentinus inter amicos Bohuslai recipitur.

75. **i** p. 168. Pertinet ad epistulam supra memoratam, gratiarum actio pro donis sibi a Valentino missis in hoc epigrammate atque etiam in fine epistulae invenitur.

